Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Karl Albert Schneider

De Centumviralis Judicii Apud Romanos Origine Liber Singularis

Rostochii: Rostochii: Impensas Fecit J.M. Oeberg: Typis Adlerianis, MDCCCXXXV

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1006250530

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN OCR-Volltext

RU jurist. 1835
Schneider, Karol. A.

DE

CENTUMVIRALIS JUDICII

APUD ROMANOS

ORIGINE

LIBER SINGULARIS.

SCRIPSIT

KAROLUS ALBERTUS SCHNEIDER

JCTUS.

ROSTOCHII

IMPENSAS FECIT J. M. OEBERG.

MDCCCXXXV.

JOANNI. SCHULZE

POTENTISSIMI. BORUSSORUM. REGIS

A. CONSILIARIIS. QUI. RES. ECCLESIASTICAS SCHOLASTICAS. MEDICINALES. SUPREMO. COLLEGIO REFERUNT. A. SECRETIS. SUMMAE. PRAEFECTURAE PROVINCIIS. REGUNDIS. CONSTITUTAE. ORDINIS AQUILAE. RUBRAE. EQUITI. RELIQ.

VIRO. ILLUSTRISSIMO. GRAVISSIMO DOCTISSIMO

HANC. QUASI. VOTIVAM. TABULAM

CONSECRAT

KAROLUS. ALBERTUS. SCHNEIDER.

Ut excipias, vir illustrissime, hasce plagellas, quibus clarissimum Tuum nomen ego praescripsi, eadem animi sinceritate, qua offeruntur Tibi a me, summopere Te rogo. Cepit me ita admirantemque tenuit singularis Tua litterarum antiquarum doctrina, accuratissima civilium rerum cognitio, summa denique morum animique elegantia, ut publicum velim exstare monumentum, quo tot tantasque dotes celebrem. Accessit, quod si Tui nominis auspiciis prodiret, id faustum quasi augurium videbatur libello meo,

quo quae per multa saecula ignota jacebat oblitterataque, Centumvirorum originem ita illustrandi periculum feci, ut qui post me novas curas argumento impendat, habeat, quo tute pedem figere possit. Quod si prospere cesserit, nec fluctus in simpulo me excitasse jure dici possit, justam inde ac legitimam emanaturam scio audaciae excusationem, qua has litteras Tibi dicatas volui. Ut igitur ita fiat, jam ob ipsam hanc causam optem. Vale, mihique studiisque meis fave!

PRAEFATIO.

Quod, quae in hoc libello continetur, in publicum prodire ego jussus sum commentationem, spero fore, ut necesse non sit, externa causa inquiratur, quae ad scribendum me impulerit, sed potius et argumenti gravitate et ipsius disputationis ratione haecce nostrae lucubrationes eruditis lectoribus commendentur. Cujus rei spes si me fefellerit, publici juris quod fecerim meas operas in investiganda Centumvirorum origine positas, excusare nec possum, nec, si possem, vellem. Odi enim et arceo profanum istud vulgus, quod nihil antiquius habet, quam quasi velis remisque tendere, ut quae properanti calamo exciderint, quavis occasione avide arrepta quam primum typothetae tradat, scilicet immensa fere moles librorum, qui sine ulla lit-

terarum nostrarum jactura in scriniis retenti ibique sepulti essent, ne decrescat, imo in dies augeatur. Et ex eo, quod ita libere professus sum, si aut nimis emunctae naris homo aut arrogantis animi habear, talem me notam aequo animo laturum scio, cum persuasum mihi quam maxime sit, nullam aliam rationem in hac ipsa causa apud subacti judicii viros valituram, quam eam, quae utrum bonae frugis libellus sit et in litterarum incrementum salutemque compositus, an non sit, accurate pensitet. A fastidiosa vero opinione, me totam rem, quam tractandam mihi sumpserim, cum pulvisculo exhausisse, et Centumvirorum sospitatorem ita me exstitisse, ut omnem bene merendi de iis materiam aliis praeripuerim, abesse me permultum, quivis aequus arbiter facile cognoscet ex iis, quae primo commentationis capiti praemisi.

Scripsi Rostochii

a. d. X. Kal. Jul. an. MDCCCXXXV.

In tota juris Romani antiqui disciplina nescio, an res sit ulla, quae in eadem argumenti magnitudine, gravitate, vi, tanta tamque perniciosa prematur caligine, quam difficultatibus summis impedita quaestio, quae fuerit Centumvirorum origo, quae fuerit hujus judicii summa ratio et finis, denique quomodo electi sint et distributi singuli quique, qui in horum judicum numero fuerint. Nam longe plurimorum virorum doctorum, qui vires suas his solvendis rebus et illustrandis pares opinabantur, ideoque hocce onus non dubitabant in sese suscipere, in ipso argumento tractando tam obtusum ingenium est, tam labefactum et hebetatum, ut eventus nec fiduciae nec piis votis responderit, et tam multum abfuerit, ut omnibus numeris absolutum quid perfectumque in medium proposuerint, ut pingui crassaque Minerva rem aggressi esse rectius isti dicantur. Quo vero magis, pauca, in quibus lapsus est, si exemeris, illustrissimus Bethmannus-Hollweg partibus suis satisfecerit, quae fuerint singulae causae, quas Centumvirale judicium cognoverit et disceptaverit perdocte, ele-

ganter, acute ac (paucis, uti diximus, exceptis) feliciter pertractando atque enodando (1), eo magis jam summis viribus nobis nitendum est et studendum, ut cetera quoque, quae ad Centumviros spectant, eodem ingenii acumine, eadem solertia et dexteritate expediamus et ad liquidum perducamus, evitatis et iis scopulis, quae ipsi HOLLWEGIO damnum fecerint. Sed quod ego quam maxime asperae durissimaeque materiae justum fabrum me praedicare videar, sciant lectores, non tantae arrogantiae me esse et insolentiae, ut quae a ceteris omnibus, qui nunc sunt, doctissimis Jctis acutissimisque desperata res sit et abjecta, huic ego unus, qui salutem reddam et integritatem haberi velim, sed hoc potissimum esse et consilium meum et desiderium, ut alios, quos scio permultos esse, qui et doctrina et ingenii vi mihi antecellunt, ad nova, quae proponam, recensenda ac ponderanda invitans et excitans, iisdem palaestram aperiam, qua rite et pugnare et repugnare possint, et victores summam gloriam merebuntur. Quis enim est, qui harum rerum paulo peritior sit, nec in

(1) Ueber die Competenz des Centumviralgerichtes, quae commentatio inserta est silvis Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft inscriptis. Bd. V. p. 358—400.

Georgii Friderici Puchtae (2), viri acutissimi ingenii et exquisitissimae doctrinae, sententiam eat, arbitrantis, et latere adhuc, ex quo Centumviris lumen afferri debeat, et feliciter si ab aliquo inventum sit, omnia, quae nunc in his sint fuco obtecta tenebrisque circumfusa, clara esse proditura et perspicua manifestaque? Utinam igitur mihi contingat, ut cum in tanta materiae difficultate et in tanta virium mearum mediocritate me absoluturam rem esse sperare vix liceat, et eum assequar finem, quem dixi, et rem ipsam tantillum prosequar!

Ordo vero, quem sequar, hic est. Primo quae sint et fuerint clarissimorum virorum de Centumvirorum origine et delectu sententiae breviter et succincte exponam. Secundo qui veteres scriptores istarum sententiarum auctores laudentur addam. Tum et quas ob causas improbandae sint tralatitiae sententiae ostendam et novam viam ad verum inveniendum sternere conabor.

(2) Das Gewohnheitsrecht Bd. 1. (Erlangen 1828) p. 23.

CAPUT PRIMUM.

Quatuor sunt, quorum qui in cujusvis rei humanae originem recte accurateque inquirere velit, rationem habere debeat: nimirum apud quos orta res sit, qui primus, et quando, et quomodo eam instituerit. De quibus jam quae proditae apud nostrates sententiae exstent, videamus (3).

(3) Reputantibus nobis in ipsius hujus commentationis limine, quomodo et ad perspiciendum accommodatius, et ad rationem, quam sequamur, aptius, et denique ad lectorum tempori parcendum utilius ea disponamus, quae hic tractanda esse indicavimus, num ita, ut uniuscujusque, qui de Centumviris scripserit, viri docti sententiam singillatim enarremus eoque modo istorum Jctorum nostrorum catalogum locupletissimum exhibeamus; an ita potius, ut eorum omnium, qui in eandem sententiam censpirarunt, non separatim, nedum nominatim semper mentionem faciamus, sed ipsas sententias esse, quas noscere nostra intersit statuentes, has quidem justo ordine allegemus, at allegatis unum modo alterumve virorum doctorum, qui eas professi sint, nomen subjiciamus, hanc quidem, quam ultimo loco diximus, rationem arripere visum est. Nam etsi altera quoque, quibus defendatur, habeat, magis tamen iis commendanda est, qui singulare historiae littera-

Sunt, qui *a Graecis accepisse Romanos Centumvirale judicium* sibi persuadeant (4). Quod sine dubio non ita quidem intelligi volunt, quasi Centumviri repraesentent Graeci judicii imaginem ad umbilicum factam, sed mutasse aliquid Romanos in Centumviris nostris pro suo ingenio suisque moribus et accommodasse rebus suis facile concedent. At his nihil inesse, quod offendere nos possit. Nam totam Centumviralis judicii formam longissime abhorrere a genuinis et consuetis usitatisque Romanorum institutis et proxime accedere ad Graeci cujusdam judicii proditam formam, tum si electionem judicum respiciamus, tum eorum numerum et divisionem, cum negari haud posse sibi persuadeant, nihil obstare volunt, quominus Romani quam apud Graecos ortam excultamque judicii rationem invenerint, eam receperint et Romae Centumvirale suum judicium condentes imitati sint.

Hos ita opinantes excipiunt alii, qui contra *apud Germanos deprehendisse Romanos vestigia, quae prementes Centumvirale judi-*

---

riae caput tractent, quam iis, qui ipsam antiquitatem illustrare sibi proposuerint. Quibus praemissis jam ad ipsam rem progrediamur.

(4) G. H. Ayrer Prolus. de judicio septemvirali apud Zepernick p. 187.

cium ordinarint, sunt hariolati. Quam quidem notam, quae verbis inest, non iis infligere volo, qui analogiam quandam et familiaritatem inter Centumviros Romanos et vetus quoddam Germanorum judicium statuunt. Horum profecto sententia tantum distat ab illorum, quantum aes a lupinis. Nam alteri nihil putant, nisi similitudinem esse Romanorum Centumviris cum judicio populari veterum Germanorum (id dico, quod ab omnibus liberis hominibus exercebatur, qui suffragiis communibus lites apud se peroratas disceptarunt), alteri Romanos istud Germanorum judicium cognitum habuisse, ejusdemque imaginem in Centumviris expressisse, Germanis praeeuntibus (5), autumant.

---

(5) K. S. Zachariae Lucius Cornelius Sylla, genannt der Glückliche, als Ordner des Röm. Freistaats. (Heidelberg 1834.) II. Abth. p. 109: „*Fast alles, was das Centumviralgericht betrifft, ist uns nur höchst unvollkommen bekannt. Nimmt man jedoch an, dass die Römer und ihre Einrichtungen deutschen Ursprunges waren, eine Annahme, welche sehr viel und sehr triftige Gründe für sich zu haben scheint, so dürfte sich das Dunkel, in welches jenes Gericht gehüllt ist, aus der altdeutschen Gerichtsverfassung wenigstens einigermassen aufhellen lassen*“ — et eod. loco p. 110 not. 151: „*Für*

Sed omnium, quicunque litterarum nostrarum stipendia unquam meruerint, in honorem dictum sit, perpaucos modo a regia via in lubricum istum et lutuosum tramitem, quem diximus, aberrasse. Longe plurimi virorum doctorum neque a Graecis neque a Germanis Centumviros originem traxisse, sed genuinum et proprium Romanorum institutum esse judicium, persuasum sibi habent. Quorum in sententia acquiescendum esse, infra paulo prolixius demonstrabimus.

His jam enarratis si quaeramus quando Centumviri et a quo primi sint creati, mirum est, quantum inter se distent sententiae. Sunt qui paulo ante CICERONIS tempora eorum incunabula investiganda esse credunt. Nam cum *Lex Aebutia* Ciceroni quidem jam nota sit (6), cer-

---

den Zusammenhang dieses Gerichtes mit der altdeutschen Gerichtsverfassung sprechen noch einige besondere Umstände etc."

(6) Quod ut probent, qui lege Aebutia Centumviros constitutos esse credunt, ad locos provocant quibus CICERO horum mentionem fecit c. c. de Oratore I. c. 38 et 39. Bruto c. 53 in Rullum II. 17 pro Caecina c. 18 alios; qui plures leges Aebutias non fuisse statuunt in fidem quoque vocant CICERON. in Rullum II. c. 8; ceteri denique omnes eo demonstrant, quod apud Ciceronem formularum usus etiam in legitimis judiciis jam inveniatur, uti prae

tissimisque tamen rationibus evinci possit non multum ante Ciceronem legem illam latam esse, etsi justum annum, quo lata sit ignoremus, at tandem verisimillimum sit *ipsa lege Aebutia* Centumvirale judicium constitutum esse, de tempore multum dubitari haud posse. Qui vero per legem Aebutiam creatos esse Centumviros volunt, multi sunt Jcti et clarorum nominum (7). Inter quos HEFFTERUS (8) primo hujus legis capite sancitum esse putat: „uti Centumviri in causis privatis sacramenta judicarent", quae verba, quod ad rem nostram attinet, ancipitia uti sunt

---

ceteris patet ex oratione, quam dixit ille pro Roscio Comoed. c. 5 et saepius. Quod vero jam PLAUTO formulas notas fuisse colligi potest e Rud. V. 3 25 aliisque locis, nullam vim nostra in re definienda habet, cum non satis appareat, cujus indolis judicium designetur.

(7) AUGUSTINUS de Legibus sub Aebutia (in Graevii Thes. Antiq. Rom. T. II.) p. 1174 A. — SIBRAND. SICCAMA de Judicio Centumvirali I. c. 8 (apud Graevium II. p. 1837 E, ed. Zepernickii p. 62). — STEPH. PIGHIUS Annal. magist. et provinc. S. P. q. R. ad annum DXX. p. u. c. F. FUNCCIUS Progr. de lege Aebutia XII Tabulas non derogante apud Zepernick. p. 208.

(8) Observat. lib. ad Gaj. Com. quart. p. 21.

et obscura, minimeque clare produnt, num secundum ipsam hanc legem primo electi Centumviri sint, nec ne, eodem modo HEFFTERUS fluctuat, cum alio loco pro certo id contendat, alio in medio rem relinquat (9). — Sed eorum, qui in *lege Aebutia* Centumvirorum incunabula latere aut omnino non putant, aut pro explorato vendere ausi non sunt, complures fuerunt, qui quidem eorum natalitia ante DXIII. p. u. c. nullo modo referri posse auctores fierent (10). Est hic annus, quo tribus, duabus auctas, ad numerum triginta quinque accrevisse memoriae traditum est. Novissime denique NIEBUHRIUS (11) oblitam ANTONII AUGUSTINI conjecturam (12). iterum protraxit auctoritateque sua corroboravit,

---

(9) Cf. lib. laud. p. 9 et p. 22.

(10) FR. POLLET Histor. fori Rom. III. c. 13. (Lugd. 1587) p. 291. ZEPERNICK ad Siccamam p. 64. not. b.

(11) Roemische Ceschichte Bd. I. (4te Auflage. Berlin 1833.) p, 447.

(12) Prodita est in lib. de Legibus in leg. Horat. (apud Graev. II.) p. 1204, sed tam occulte, ut ejus verba aenigmatis fere loco sint et sagacitate summa opus erat, quae ea illustraret vid. DRACKENBORCH ad Liv. III. c. 51. Fuisse AUGUSTINUM sibi ipsi parum constantem patebit ex not. nost. 7, quamquam ipse sub voce l. Horatia ad alterum locum nos delegat.

aut quod rectius fortas dicamus, divini fere ingenii vir AUGUSTINI sententiam gravissimis studiis, et si unquam alicui, sibi certe propriis, de novo genuit. Qui viri doctissimi ita statuunt, antiquissimis jam temporibus judicii nostri fundamenta jacta esse judicumque nostrorum jam *legem Horatiam* habuisse rationem. NIEBUHRIUS quoque addit, regem SERVIUM illum TULLIUM Centumviralis judicii conditorem primum fuisse. Inter nostrates complures exstiterunt (13), qui sententiam illam arripuerint, magnoque cum applausu probarint.

Restat ut de creandorum Centumvirorum ratione antiquitus observata, quae Jctis nostris videntur, narremus. Quorum nonnulli in *comitiis tributis* creatos esse Centumviros disertis verbis scripserunt (14), omnes (15) vero e *tribubus* eos lectos idque semper ac perpetuo

---

(13) ZIMMERN Geschichte des Römischen Privatrechts. Bd. III. §. 14. p. 38 aliique.

(14) SICCAMA de Jud. Cent. I. c. 8 (apud Graev. l. c. p. 1838 E, ed. Zeper. p. 66).

(15) Videsis quoscunque passim citavimus, praeterque eos SIGONIUM de Jud. I. c. 22 (apud Graev. II.) p. 1724 B. HEINECCIUM Antiq. j. R. synt. IV. 6. 9. BETHMANN-HOLLWEG Gerichtsverfassung und Process des sinkenden Römisch. Reichs (Bonn 1834) p. 4.

mirifico Aedepol consensu declararunt, quamquam iterum sunt, qui adjiciant, ut electio ista a Praetore fieret, morem fuisse (16), quod quidem alii silentio praetermittunt, alii (17) sorte factam putant, alii (18) denique ita refragantur, ut ad plebem electionem deferant (19).

Sed novissimi et Jcti et Philologi hoc quoque deprehendisse sibi videntur, Centumvirale judicium antiquitus non ad Patricios sed ad solos spectasse Plebejos (20), quippe quod inter ju-

---

(16) Gruchius de Comit. Rom. II. c. 2 (in Graevii Thes. A. R. T. I.) p. 638 C., Zepernick ad Siccamam p. 67. not. e.

(17) Jac. Raevard Protribunalium liber sing. c. 16. (Oper. Francof. 1601.) p. 922.

(18) Niebuhr Römische Gesch. I. p. 447 in verb.: „*Ausser diesen Richtern (den Centumvirn) und den Tribunen mochten die Plebejer, gesammt oder nach den einzelnen Stämmen, mehrere Wahlen vollbracht haben.*“

(19) Cavendum, ne putemus, idem hoc esse, atque in Comitiis tributis, quâ certe interpretatione Niebuhrio viro summo quomodo major infligi possit injuria, nihil fere scio.

(20) Niebuhr R. G. p. 447 (in verb.: *jene judices, welche unter den anderen Plebejischen Behörden.*). Zimmern G. d. R. Pr. III. p. 38. A. Wittich de reipubl. Rom. ea forma, qua L. Cornel.

dices istos nemo locum obtinuerit nisi qui hujus fuerit conditionis, nec inter alios apud istos disceptatum sit, quam inter ejusdem, quos diximus, generis homines. At vero posterioribus quoque temporibus ita observatum esse, nemo dubitavit negare, immo sensim sensimque in consuetudinem abiisse, ut omnium civium lites ad Centumviros devolverentur, modo tales fuerint, quas dijudicare omnino horum fuerit, expresse tradunt (21).

Habetis jam, lectores, diversarum, quae a viris doctis de Centumvirorum origine proditae sint, sententiarum farraginem. Qui quidem cento quam temere consarcitus ex veteribus scriptoribus sit, sequenti capite docebimus, ex quo id certe intelligetis, perpauca modo eorum, quae fulcire viri docti conati sunt veterum illorum auctoritate, ex ipsis nostris fontibus hauriri posse.

Sulla Dictator totam rem Romanam ordinibus, magistratibus comitiis commutavit (Lips. 1834) p. 157.

(21) Zimmern l. c. p. 39.

CAPUT SECUNDUM.

Si jam primo loco quaeramus, num quis veterum memoriae tradiderit, Romanos ab exteris Centumvirale judicium adoptasse, sane apud neminem eorum, quos aetas nostra servatos tulit, tale quid legi respondendum est. Cum igitur aeque et eorum opinio, qui Graecae, et eorum, qui Germanicae originis Romanos Centumviros velint, mera nitatur conjectura, etiam ab hoc capite, quippe quod verbis fontium examinandis destinavimus alienum videri possit, fusius eam pertractare. Attamen QUINCTILIANI locum quendam praeterire prorsus non debemus, quo, quod mutuum olim Thebani apud Thessalos contracti essent, Alexander Magnus cum remisisset illis, Thessalis tandem a Cassandro in integrum restitutis, causam ad Amphictyones devolutam esse narratum postquam est, ita in perorandis iis, quae Thessalis faveant, pergit QUINCTILIANUS. Inst. Orat. V. 10.

Proprium est et illud causae, quod Amphictyones judicant, ut alia apud Centumviros, alia apud privatum judicem in iisdem quaestionibus ratio [*sit*].

Recte vulgo ita intelliguntur verba *apud Centumviros* et *apud privatum judicem*, ut ad Romanum referantur Centumvirale judicium et ad Romanum judiciorum privatorum ordinem (22), quare particula *ut* posita putatur pro uti sive sicuti. Sed verum hoc esse cum assentiamur viris doctis, inde tamen nihil sequi, quo nostri judicii origo a Graecis repetenda sit, toto jure contendimus. Nihil enim, nisi comparationem quandam introducit QUINCTILIANUS, qua illustret, fuisse in hoc aliquid proprii, quod Amphictyones judicarint. Sicuti nimirum aliam in judicando rationem et habere et sequi Centumviros soliti sint, ac judices a magistratu da-

---

(22) Qui verbum *sit* in textu non omittunt, quo idem iis placere possit, equidem non video. Tum enim faceret *ut* conclusionem quandam e prioribus, quo sensus existeret, id ipsum esse proprium causae ad Amphictyones delatae, quod apud Centumviros alia ratio obtineat in judicando, quam apud privatum judicem: quod tum demum intelligi posset, si Graecos Amphictyones etiam Centumviros fuisse contenderetur. At tales non fuisse Amphictyones eum constet inter omnes, verbum *sit* delendum in textu est. Et omittunt quoque plures Codd. Ms. iique optimae notae, de quibus vide SPALDING ad h. l.

tos (23), ita quoque fuisse in Amphictyonibus, quippe qui itidem tali modo adstricti non fuerint, quo ceteri judices Graeci. Ad summum id verbis inesse concluderemus, proprium, quod et apud Amphictyones et apud Centumviros Romanos observetur idem esse vel simile quid, quod vero per se nihil facit ad communem amborum originem comprobandam. Quare sine dubio recte diximus, peregre Romam migrasse Centumviros, veteris scriptoris auctoritate neutiquam tueri. Id unum addere liceat, ne quis temeritatis recte nos accusare possit, longe aliud judicium Graecum esse, a quo Centumvirorum Romanorum originem deducere velint nostrates, neque horum refellendorum causa QUINCTILIANI locum a nobis examinatum esse, sed potius ut quorumvis aliorum, qui offendi se illo fortasse patiantur, dubitationes sublevemus.

Quod porro attinet ad conditorem tempusque, quo Centumviri primi exstiterint, ii, quibus lege *Aebutia* creatos istos placuit, testem laudant AULUM GELLIUM, cujus haec verba sunt:

---

(23) Centumviri liberius aequitatem sequuntur, a ceteris privatis judicibus magis jus strictum et proditum custoditur.

Noct. Att. XVI. c. 10.

Sed cum proletarii (24) *et assidui* (25) *et sanates* (26) *et vades* (27) *et subvades* (28) *et viginti quinque asses* (29) *et taliones* (30) *furtorumque quaestio cum*

---

(24) Cfr. de his Cicero de Rep. II. c. 22. Festus s. h. v. et ipse Gellius eodem hoc capite paulo infra.

(25) Cicero Top. c. 2 in fin. de Rep. II. c. 22. Gellius h. c. infr. Festus s. h. v. (de verb. veterib. apud Gothofredum Auct. Lat. ling. Genev. 1622 p. 1371). — Perperam hanc vocem interpretatus est Isidorus Orig. (apud Gothofr. l. c.) p. 1069.

(26) Festus s. h. v. (Cod. Farnesiensis p. 130.) ex restitutione Fulvii Ursini.

(27) Quo distant vades a praedibus explicat Ausonius Edyll. XII. (Technopaegnion) v. 100 seq., quocum consentit Fest. Epit. s. h. v. Sed etiam latiorem huic verbo (vadem dico) fuisse significationem testantur Varro de L. L. V. 7 et Schol. Acron in Horat. Serm. I. 1 v. 11. — Ab hac plane aliena notio est, cujus mentionem facit Festus s. v. manceps.

(28) De hac voce nihil certi prodiderunt veteres, quare ejus significatio in ancipiti posita est.

(29) Cfr. Gaj. Com. III. §. 224. Collat. L. L. Mos. et Rom. II. 5.

(30) Gajus l. c. Fettus s. v. talio.

lance et licio (31) *evanuerint, omnisque illa XII Tabularum antiquitas, nisi in legis actionibus Centumviralium causarum lege Aebutia lata consopita sit, studium scientiamque ego praestare debeo juris et legum, vocumque earum, quibus utimur.*

Operae erit pretium, cum hunc locum tanti momenti fingant Jcti, ejus verba diligenter vocare ad obrussam.

Et primo quidem GELLIUS dicit, plura jam, quae olim obtinuerint, prorsus abiisse in desuetudinem. Adjicit tum, abrogatam esse illam (i. e. notam istam, satisque tritam, quam scitis,) antiquitatem XII Tabularum, nisi in legis actionibus Centumviralium causarum lege *Aebutia* lata. Quae quidem verba *lege Aebutia lata* qui ipsam hanc legem Centumvirorum quasi matrem fuisse volunt, non conjungunt cum verbis *consopita sit*, sed trahunt potius ad ea, quae antecedunt *nisi in legis actionibus Centumviralium causarum.* Audio! Sed etiam tum profecto GELLIUS hoc unum dicit: antiquitas illa in universum jam oblitterata est, sola *lex*

(31) Cfr. GELLIUS N. A. XI. c. 18. FESTUS s. v. lance et licio GAJUS Com. III. §. 192.

Aebutia eam retinuit in causis Centumviralibus. Ex quibus sane id recte colligatur, *legem Aebutiam* expressim de Centumviris sancivisse, in posterum apud istos antiquitatem legis actionum observandam esse: at vero, cum et eo tempore ita potuerit jubere, quo diu jam floruerat Centumvirale judicium, haecque potuerit jubendi causa esse, ne qui in ceteris judiciis jam desinere coepisset antiquus procedendi ordo, idem quoque desineret apud Centumviros, qui et antea eo usi essent, — quo tandem modo dicamus, quaeso, aliquam veri speciem e nostro GELLII loco posse adversarios excutere, qua suam sententiam defendant? Et quod olim tam propensos fuisse Jctos, ut *legi Aebutiae* primam Centumvirorum creationem tribuerent, etsi, uti vidimus, probari non potest, potest tamen iis condonari, quoniam nullum aliud de hacce *lege Aebutia* testimonium antiquitatis exstabat (32), quam verba GELLII laudata: at quod etiam post genuinos GAJI Institutionum Commentarios inventos celeberrimus HEFFTERUS idem ex GELLIO conjecit, audacius certe fecisse vir ille

(32) Nam quam olim publici juris fecerat CHARONDAS inscriptionem de lege Aebutia spuriam esse suppositamque viderunt plurimi viri docti.

doctissimus judicandus est. Nam cum jam e GAJO (33), quem dixi, cognoverimus, *legem Aebutiam* ipsas legis actiones sustulisse, dubitari nunc omnino haud debet et quae ista antiquitas XII Tabularum sit, quam consopitam GELLIUS dicit, et quomodo sit consopita. Jungenda igitur sunt verba *lege Aebutia* apud GELLIUM cum verbis *consopita sit*, ita ut ne id quidem expressim tradatur, quod apud Centumviros et in posterum custodiantur legisactiones, deberi illi legi Aebutiae, quod an verum omnino sit, ego vix ausim contendere (34).

---

(33) *Comment. IV. §. 30. Itaque per legem Aebutiam et duo leges Julias sublatae sunt istae legisactiones, effectumque est, ut per concepta verba i. e. per formulas litigaremus.*

(34) Quae in legisactionibus tollendis tribuenda sint *legi Aebutiae* quaeque *legibus Juliis*, et difficilis quaestio est et obscura. Equidem neutiquam adstipulari possum HEFFTERO, quem tamen alii complures secuti sunt, et pignoris capionem et manus injectionem omnino non tetigisse *legem Aebutiam* arbitranti. Sane tetigit, si unum excipias damnum infectum, unumque publicanum e lege censoria agentem GAJUS Com. IV. §. 31. CICERO in Verrem III. 11. At quod legisactionem per sacramentum in ceteris omnibus causis, exceptis Centumviralibus, *lege Aebutia* abrogatam pu-

Videamus nunc, num firmius fundamentum eorum habeat sententia, quae ante annum DXIII p. u. c. Centumviros non fuisse persuadere nobis velint. Nituntur duplici auctoritate, altera Festi Grammatici, Pomponii Jcti altera.

Et quod Festus dicit loco, quem infra diligentius in examen vocabimus (35), *Centumviros electos esse ex triginta quinque tribubus, nimirum terni ex singula tribu, ita ut nomen, quod istis datum sit, eorum numerum accurate non exprimat*, inde jam colligi debere dicunt, non prius Centumviros fuisse, quam fuerint triginta tribus. Quae demonstratio ad nihil redire dicenda est. Nam si e tribubus electi semper Centumviri sint, non potuerunt quidem e triginta quinque eligi, antequam toti-

tat Hefftterus, iterum non verum censeo; imo omnes in rem actiones et apud Praetorem judicesque e *lege Pinaria* datos *licuisse*, et apud Centumviros *debuisse* legisactione per sacramentum persequi etiam post legem Aebutiam latam, e Cicerone in Verrem I. 45 pro Caecina c. 7, et Valerio Maximo Memorab. Hist. VII. 7 5 probasse mihi videor in libro meo: „Die allgemein subsidiären Klagen des Roemischen Rechts.“ (Rostock 1834) p. 461 seq., cui et noster Gellii locus aperte non refragatur.

(35) Exstat s. v. Centumviri.

dem fuerunt: at poterant e triginta et e triginta tribus sumi, cum tribuum numerus tantus fuerat. Jam vero FESTUS non id dicit, quod dicere deberet si recte argumentari judicandi essent adversarii, *semper et perpetuo* ex iisdem triginta quinque tribubus Centumviros electos esse, sed ut designaret FESTUS ex omnibus electos esse, adjicit in hunc unum finem tribuum verbo numerum triginta quinque, quoniam tribus eum numerum et nunquam excesserunt (36) et jam inde a florentissimis reipublicae Romanae temporibus is numerus semper obtinebat.

Quod quidem, utpote in propatulo positum, pluribus defendere opus non est. Nec ei probandi vis inesse potest, quod Centumvirorum nomen numerum eorum non accurate repraesentare FESTUS dicit. Id sane nunquam erat, si e tribubus semper terni electi essent, raroque evenire poterat, si ternis alium numerum conjectura substitueremus, quem singula tribus Centumviris praestitisset. Nam cum a rege SERVIO TULLIO triginta tribus essent institutae (37), quae post cladem a Clusiorum rege PORSENNA

(36) PSEUDO-ASCONIUS PEDIANUS ad Cic. in Verrem I. c. 8.

(37) Refert DIONYSIUS HALICARNASS. A. R. IV. c. 15 e FABIO PICTORE.

Romanis inflictam, tribu *Tarquinia* detracta additaque iterum *Claudia* (38), ad viginti minutae (39), primo (anno CCLIX p. u. c.) *Crustimina* (40), tum (anno CCCLXIX) *Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arniensi* (41), porro (anno CCCLXXXXVII) *Pomptina* et *Publilia* (42), (anno CCCCXXIII) *Scaptia* et *Maetia* (43), (anno CCCCXXXVI) *Ufentina* et *Falernia* (44) ita auctae, ut jam primum earum numerum una superarent, tandem (anno CCCCL) adjectis *Aniensi* et *Terentina* (45) et denique (anno DX) *Velina* et *Quirina* (46), triginta quinque factae sunt. Quae quidem cum ita sint, nec eum, qui praeter FESTUM meminit, Centumvirorum nomen eorum numerum accurate non exprimere, recte in auxilium vocabunt, qui a contraria sententia stant, idque eo minus, cum

---

(38) LIVIUS II. 16. DIONYS. V. 40. APPIANUS H. R. I. fr. 11. T. I. p. 28. Schweigh.

(39) Cfr. Niebuhr Roemische Gesch. Bd. I. p. 436 seq.

(40) Est haec ea, de qua narrat LIVIUS II. 21.

(41) LIVIUS VI. 5 i. f.

(42) LIV. VII. 15 i. f.

(43) LIV. VIII. 17 i. f.

(44) LIV. IX. 20.

(45) LIV. X. 19.

(46) LIV. Epit. lib. XIX.

iste neutiquam addat numerum certum, sed potius indistincte loquatur

VARRO de re rust. II. 1.

Si inquam, numerus non est ad amussim, ut cum dicimus mille naves ad Trojam isse, Centumvirale judicium Romae.

Quod vero FESTUS non probaverit, an Pomponius Jctus probet? Minime gentium! En ejus verba.

POMPONIUS lib. sing. Enchiridii (47)

Post aliquod deinde annos, non sufficiente eo Praetore (scl. urbano), quod multa turba etiam peregrinorum in civitatem venerit, creatus est et alius Praetor, qui peregrinus appellatus est ab eo, quod plerumque inter peregrinos jus dicebat. — Deinde cum esset necessarius magistratus, qui hastae praesset, Decemviri stlitibus judicandis sint constituti. — Eodem tempore et quatuorviri, qui curam viarum gererent, et triumviri capitales, qui carceris custodiam haberent, ut cum animadverti oporteret, interventu eorum fieret.

---

(47) L. 2 §. 28, 29, 30 D. de orig. jur. I. 2.

Eorum disputatio qui saeculo sexto primo creatos Centumviros esse e POMPONII verbis deducere conantur, in hunc fere modum comparata est. Lites tunc temporis Romae valde crevisse esseque auctas, tum opulentia divitiisque, quas cives Romani e terris nuper subactis sibi comparassent, indeque subnata luxuria morumque pravitate, tum peregrinorum transpositis Romam penatibus. Quare cum jam Praetor urbanus tot tantisque negotiis rite sustinendis haud par fuisset, ejus levandi causa creatos esse et alterum Praetorem pluresque minorum, quos dixerit POMPONIUS, magistratuum. Cui vero tempori aptius adscriberentur Centumviri, quam ei, quo tanta et ansa et necessitas eorum constituendorum fuisset, cum sine dubio hi ipsi permagno, quo Praetor urbanus premeretur, eum liberassent onere? Accedat et id, quod *Decemviros stlitibus judicandis* multum temporis post Centumviros creatos esse verisimile non sit. — Quae omnia, scilicet magis ficta, quam apte et cordate et scite disputata credat Judaeus Apella, at ego non!

Nolo de ipso POMPONIO quaerimonias agere, qui cum *Triumviros capitales* eodem tempore, quo Decemviros, illos vero post Praetorem peregrinum institutos dixerit, egregie falli-

tur (48), cum Praetorem peregrinum anno DVII p. u. c. (49), Triumviros vero istos jam anno CCCCLXIII p. u. c. (50) primo creatos esse constet, et omnino Decemviros slitibus judicandis multo esse antiquiores fere extra dubitationis aleam positum sit (51). Quem ego naevum a librorum Justinianeorum compilatoribus POMPONIO adpictum censeam (52), qui si ullum, hoc sane POMPONII fragmentum misere laceraverunt et infoedarunt imprimis eorum, quae omisissent et resecassent, contextum ad priora adnectendi causa, quod quidem nostro quoque loco accidisse persuasum mihi est. Mitto ergo apud ipsum POMPONIUM tempora ita confundi, ut nihil certi ex eo erui possit et nihilo-

(48) Periclitatus quidem PH. ED. HUSCHKE est ad Inc. Auct. Magist. et Sacerd. P. R. Expos. (Vratisl. 1829) p. 105 seq. nova interpretatione POMPONII verba, uti exstant, defendere: sed ut ei, magis ingenuose quam vere (ita equidem censeo) disputanti assentiar, a me impetrare haud potui.

(49) Cfr. LAURENTIUS LYDUS de Magist. R. R. I. c. 38 et c. 45. LIVIUS Epit. lib. XIX.

(50) LIV. Epit. lib. XI.

(51) LIV. III. 55.

(52) Aliter sentit DIRKSEN Versuche zur Kritik und Auslegung des Roemischen Rechts (Leipzig 1828) p. 202 seqq.

minus viros doctos eum argumentationi suae quasi justum fundamentum substrasse. Id autem quaero, quis unquam Centumviros Praetoris urbani adjuvandi causa creatos et juste dixerit et qui dicere potuerit, cum Praetor iste Centumviris praesideret (53) ideoque omnium laborum, quibus detinerentur isti, ipse esset particeps (53a). Et quod Decemviros non multum post Centumviros creatos dicunt, nemo id probabile reddidit, nec ex satis obscuris POMPONII verbis *cum esset necessarius magistratus, qui hastae praeesset* deduci potest. Nam ex indubitatae fidei scriptore scimus, primarium officium, quo inde ab AUGUSTO Decemviri functi sunt apud Centumviros, nimirum cogendi eos, antea sustinuisse Exquaestores (54).

Quorum omnium summa haec est, etiam eos, qui saeculo sexto nec ante annum DXIII p. u. constitutos Centumviros opinentur, firmo testimonio plane esse destitutos.

---

(53) Cfr. PLINIUS Epist. III. 55.

(53a) Nihil enim est, quod cum HUGONE (Rechtsgeschichte 11te Aufl. p. 687) dubitemus, quin Praetor jam hoc tempore, de quo sermo est, Centumviris praefuerit.

(54) SUETONIUS Aug. II. c. 36.

Superest, ut de iis dicamus, qui in antiquissima reipublicae Romanae tempora Centumvirorum nostrorum originem referant. Et primo quidem videamus, an *Legem Horatiam* eorum mentionem injecisse pro explorato haberi possit.

Consules L. Valerium et M. Horatium, eosdem qui et ut quod tributim plebs jussisset, populum teneret, et ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet sancivissent, aliam legem tulisse narrat

Livius III. 55.

> *Ut, qui Tribunis plebis, Aedilibus, Judicibus, Decemviris nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset, familia ad aedem Cereris, Liberi Liberaeque venum iret.*

Verbo *Judicibus* designari Centumviros putant omnes, quicuuque hanc legem ad nostros judices spectare sibi persuaserunt. At, antequam rationes eorum perpendamus, juvabit annotasse, jam inter veteres juris interpretes legem nostram fuisse vexatissimam gravissimisque dubitationibus subpositam. Nam, ut refert Livius, fuere, qui per eam non sacrosanctos judicari Tribunos Aedilesque ceterosque, quorum nomina in lege exstarent, putaverint, sed potius haberi sanctos, qui istis nocuerint, inter quod probe distinguendum esse, uti sane est distinguendum. Quae si jam

minus ad nos pertineant, pertinet tamen id, quod et *Judicibus* intelligendos esse Consules Praetoresque voluerint quidam veteres; Consulem enim antiquitus nominari Judicem: at Praetorem, Consulis collegam, iisdem auspiciis creari. Refutavit autem LIVIUS hoc argumentum eo, quod his temporibus Consulem non Judicem appellatum esse, sed Praetorem contendit. Cujus certe rei veteres juris interpretes paulo peritiores LIVIO fuisse et facile credimus et succincte demonstrare possumus. Quamvis enim satis notum et tritum sit, antiquissimis liberae reipublicae Romanae temporibus Consulem, quem postea dicebant (55), nominatum Praetorem esse (56), tamen et id certissimum est, ipso hoc anno, qui legem nostram vidit i. e. primo anno post secundam plebis secessionem, Aventino monte occupato, VALERIO et HORATIO primis esse datum Consulis nomen (57). Quis autem est, qui

---

(55) Oppugnare nobis DIONYS. HALIC. V. 1. recte dici non potest; nam ab initio jam Consules esse vocatos, verbis extorqueri haud debet.

(56) CICERO de Legib. III. 3. FESTUS s. v. Praetoria porta.

(57) ZONARAS Annal. VII. 19. *Τότε γὰρ λέγεται πρῶτον ὑπάτους αὐτοὺς προσαγορευθῆναι, στρατηγοὺς καλουμένους τὸ πρότερον.* Con-

dubitet cum NIEBUHRIO consentire, explicanti (58), nihil aliud proprie significare Consulem, quam eum, qui cum alio est i. e. collegam? Jam vero si tunc, quo lex nostra lata est, ὕπατοι, abjecto Praetoris nomine, primum dicebantur Consules, vix haec denominatio, quae sine dubio de communi loquendi usu desumta erat, jam solennis esse poterat. Quae igitur cum ita essent, omnino Consules adeo non alio nomine appellari *in lege* poterant, quam Judicis (59). Judex enim jam dudum solennis Consulis (60) nomen fuit (61).

---

sueta verbi Consulis interpretatio Graeca ὕπατος est SUIDAS s. v. *Κονσούλας* LAURENTIUS LYDUS de Magist. P. R. I. c. 30 et 31: et στρατηγός antiquam verbi Praetoris notionem accurate exprimit. FESTUS s. v. Praetoria porta VARRO de L. L. IV. c. 9.

(58) Römische Geschichte I. p. 546.

(59) Nec id praetereundum est, quod iterum NIEBUHRII (Römische Geschichte II. p. 214) sagacitas nos docuit, eo tempore, quod huic, quo lex nostra lata est, interposito Decemvirorum regno, praecessit, cum alterum Consulem Curiae, alterum Centuriae crearent, illum solum Praetoris nomen gessisse.

(60) Consulis nomen interdum quoque judici datum dicit FESTUS s. v. Consul, ita ut his verbis promiscue usi sint veteres.

(61) Cfr. CICERO de Legib. III. 3. VARRO de L. L. IV. c. 9.

Sed non Livius solum antiquis juris interpretibus prudentiorem sese jactavit; etiam inter nostrates exstiterunt, qui quod illis placuisset, misere spernerent (62). Utuntur hoc argumento: Consules tunc patricium magistratum fuisse, legem illam Valeriam Horatiam autem plebejorum magistratibus opem tulisse. Ne vero hoc jam contra viros doctos, qui ita volunt, moneam, etsi et hi Consules, qui tunc erant, et hi, qui satis longo temporum ordine ante hos fuerant, e patribus sumpti sint, tamen tam multum abesse, ut plebeji homines *de jure* a Consulatu petendo fuerint exclusi, ut primus post exactos reges Consul, L. Brutus, plebejus fuerit (63), et legere nos Canuleium, Tribunum plebis de rogatione sua altera, ut populo potestas esset, seu de plebe seu de patribus vellet, Consules faciendi, ita orantem, *„nihil novi rogatione ferri, sed quod populi sit repeti atque usurpari, ut quibus velit populus honores mandet“* (64); ergo ut haec eaque, quae inde sequuntur, omittam, unde norunt, quaeso, viri docti, solos plebejorum magistratus *legem Horatiam* respexisse? Si di-

(62) Zimmern Gesch. d. R. Pr. III. §. 14. n. 10.
(63) Niebuhr Römische Gesch. I. p. 547 seqq.
(64) Livius IV. 3.

cant inde, quod in legis nobis servatae verbis rationem aliorum habitam non videamus, jam id, quod demum probandum est, quasi jam probatum supponunt, cum verbo *Judicibus* Consules quoque intelligi posse supra et notaverimus et luculenter demonstraverimus. Si vero autument, ex toto Romanae reipublicae statu, qualis L. Valerio et M. Horatio Consulibus fuerit, id jam colligi posse, quod verum dicant, ego iterum adversarius oppono haec, nihil obstare, ne et Consules sui ordinis securitatem una cum plebejorum magistratuum salute curasse, et populus, uti illi rogassent, ut fieret jussisse crederentur. Quod ad primum attinet, hoc sane probatione non egebit, cum omnino nullum tempus sit, cui tale quid non quam maxime conveniat, imprimis vero ipsi tempori, quo lex nostra lata est, in tantis plebejorum turbis nihil fere aptius videri poterit. Quod autem pertulerunt Consules legem, quam rogaverant, id vel populi favorem in ipsos, qui non solum plebejos cum patribus conciliaverant, horumque in gratiam reduxerant, sed etiam tantorum aliorum illius ordinis privilegiorum exstiterant auctores et suasores, vel justum metum, ne si pars aliqua reprobata esset, tota antiquaretur Consulum rogatio saluberri-

ma (65), vel denique patriciorum eorumque asseclarum et sectatorum potentiam effecisse haud temere statuamus.

Sed omnia, quaecunque de Livii loco disputavimus, non eo animo a nobis sunt allata, ut verbo *Judicibus* non posse Centumviros intelligi demonstremus, sed potius eo, ut appareat, ita fiat non necesse esse (66), ideoque totam hanc le-

---

(65) Tam diu enim, quam et in Centuriatis Comitiis suffragia de lege populum ferre nec jus nec fas erat, nisi *SCtum praecesserat* (cfr. Walter Geschichte des Römischen Rechts, Bonn 1834, I. p. 81) idem istud in illa Centuriata Comitia debebat ad amussim quadrare, quod de Curiis (δῆμον ex more suo consueto dicit) memoriae traditum est apud Dionys. Halic. VII. 38. — Sed et antequam lege *Publilia* jussum erat, ut patres (quo nomine et Senatus et Curiae intelligi debent) in incertum Comitiorum eventum auctores essent, saepius *post rogationem* Senatus auctoritas legibus Centuriatis demum accessit, quod modo de Curiarum auctoritate, quae iisdem legibus Centuriatis necessaria erat, proprium obtinebat. Ceterum ista lex Publilia in tali lege, quae Senatus potestatem ac privilegia tangebat, ejus auctoritatem illibatam servabat. vid. Polybius H. IV. c. 14.

(66) Pro certo ponamus, Consules legis sanctione non prehendi; quaero an tum solis e verbis, quae Livius refert, colligi possit, ad Centumviros legem

gem idoneam non esse, qua probetur origo Centumvirorum antiquissima. Quare si auctoritas, qua fretus NIEBUHRIUS celeb. regem SERVIUM TULLIUM Centumviralis judicii conditorem laudavit, gravior isto LIVII loco ac validior non sit, in totam sententiam, secundum quam priscis rei Romanae temporibus Centumviri adsignentur, idem cadere judicandum est, quod in omnes ceteras vidimus. Utrum igitur ita dicendum sit, an minus, hoc nunc in discrimine vertitur. Legimus autem haec apud

---

istam spectare. Annuit NIEBUHRIUS, ideo commotus, quod judex a magistratu datus proprie arbiter dicatur. Qua in re vir doctissimus sine dubio prorsus aberravit. Quae ille laudat PLAUTI verba Rud. III. 4. 7. seqq. haec certe pro sua opinione defendenda nihil faciunt. Et judex et arbiter a magistratu datur; utriusque in judicio officium versatur. At aliud officium judicis, aliud arbitri est, quod luculenter exponunt SENECA de Benef. III. 7. et CICERO pro Rosc. Comoed. c. 4. Quod vero idem CICERO pro Muraena c. 12. dicit, *per tot annos tot homines ingenuosos statuere non potuisse, utrum judex an arbiter dici oporteat*, id aperte in Jctorum contumeliam, et ut eos urbane et facete perstringeret et irrideret dixit, non vero ut serio contenderet.

DIONYSIUM HALICARNASS. A. R. IV. 25 (67)

Τῶν γὰρ πρὸ αὐτοῦ βασιλέων ἁπάσας ἀξιούντων ἐφ' ἑαυτοὺς ἄγειν τὰς δίκας, καὶ πάντα τὰ ἐγκλήματα τά τε ἴδια καὶ τὰ κοινὰ πρὸς τόν ἑαυτῶν τρόπον δικαζόντων, ἐκεῖνος διελὼν ἀπὸ τῶν ἰδιωτικῶν τὰ δημόσια, τῶν μὲν εἰς τὸ κοινὸν φερόντων ἀδικημάτων αὐτὸς ἐποιεῖτο τὰς διαγνώσεις, τῶν δὲ ἰδιωτικῶν ἰδιώτας ἔταξεν εἶναι δικαστὰς, ὅρους αὐτοῖς καὶ κανόνας τάξας οὓς αὐτὸς ἔγραψε νόμους.

In id jam summa diligentia nobis investigandum erit, qui judices fuerint, quos SERVIUS constituisse dicitur. Et cum ipse DIONYSIUS tradat, de privatis modo causis iis notionem datam esse, non vero de publicis, arctioribus sane explicatio nostra circumscribitur finibus, quamquam omnino

(67) Subjicio AEMILII PORTI translationem hujus loci: „*Quum enim omnes superiores reges omnium litium judicia ad se transferre vellent, et de omnibus tam privatis, quam publicis causis arbitratu suo cognoscerent, ille seperatis quidem publicis causis a privatis, ipse quidem de criminibus ad rempublicam pertinentibns cognoscebat, privatorum vero judices privatos constituit, quibus leges a se latas, ut regulas praescripsit, quas in judiciis et rebus decidendis sequerentur.*“

multi negotii vix foret, ostendere et minus rectum DIONYSIUM fuisse in eo, quod et de omnibus publicis causis antea reges judicasse et SERVIUM in judicado perrexisse dicit, et toti ejus narrationi omnino non aliter fidem esse habendam, quam si ad privatas causas SERVII judicum constitutio revocetur. Si igitur certum est, judicia privata exercuisse eos, quibus Servius novum munus demandaverit, tribus modis id interpretari potest, de quibus singillatim videamus.

Primo enim nullos alios fuisse judices istos possit conjici, *quam eos, quos serioribus temporibus magistratum dedisse* notissimum est, ita ut jam SERVIUS omnis causae praeparationem et ordinationem in jure faciendam eadem ratione sibi reservaverit, quam a Praetore postea factum scimus, cetera vero, dico tum ejus quaestionis, an a reo actori omnino aliquid praestari debeat, enodationem, tum modi, quem debeat, taxationem et definitionem, judicibus suis relicuerit. Quam tamen explicationem improbo equidem has ob causas. Legisactiones, quarum memoria XII Tabularum tempora excesserit, non alias civibus communes fuisse, quam *per sacramentum* (68), *per manus in-*

(68) De hac, ut generali, non haesitandum, quamquem

jectionem (69) et *per pignoris capionem* (70), probabili defendi potest conjectura. Nam legisactionis per condictionem usus demum ex lege *Silia* venit, cui postea accessit lex *Calpurnia* (71): at legisactionem per judicis postulationem, etsi in ipsis XII Tabulis prodita erat (72), tamen his antiquiorem uti communem non fuisse inde colligi potest, quod, cum legisactio per sacramentum tum generalis esset, omniaque persequi per eandem istam priscis temporibus liceret jura, quibus postea per judicis postulationem et per condictionem destinatae erant legisactiones, non facile alia illius per judicis postulationem legisactionis inveniri possit origo, quam juris communicatio inter patricios et plebejos (quam effectam esse lege XII Tabularum, testimoniis certissimis et gravissimis firmatur (73), ita ut dicamus, antea istam fuisse propriam solis ple-

certi loci, quibus ejus ante XII Tabulas usus manifestetur, me quidem fugiunt, nisi huc referas Festum s. v. reus, quod tamen ego improbo.

(69) Dionys. IV. 11. Livius II. 23.

(70) Cicero de Rep. II. 20. Livius I. 43. Festus s. v. hordiarium aes collato Gaio Com. IV. §. 27.

(71) Gaius Com. IV. §. 18.

(72) Cfr. Gellius N. A. XX. 1.

(73) Dionysius H. X. 1. et 45. Livius III. 34. Festus s. v. sanates Zonaras Ann. VII. 18.

bejis et tunc tandem factam essem communem, quod quidem statuere et aliae rationes, quas tamen accuratius persequi hujus loci non est, quam maxime suadent. Ne vero de judicis postulatione plebejis data et concessa etiam in hoc Dionysii loco cogitemus, obstat primo quod Dionysius judicum dationem non ad plebejos restringit, secundo quod typis supra exscripta Dionysii verba eaque, quae supra exscriptis continuo praecedunt Ὁ δὲ Τύλλιος οὐκ ἐν μόνοις τούτοις τοῖς πολιτεύμασι δημοτικὸς ὢν ἐδήλωσεν, ἐν οἷς ἐδόκει τήν τε τῆς βουλῆς ἐξουσίαν καὶ τὴν τῶν πατρικίων δυναστείαν ἐλαττοῦν, ἄλλα καὶ ἐν οἷς τὴν βασιλικὴν ἀρχὴν ἐμείωσε, τὴν ἡμίσειαν τῆς ἐξουσίας αὐτὸς ἀφελόμενος (74) satis superque demonstrant, in posterum omnino nullas partes fuisse regi in iis causis, quarum disceptationem apud judices esse voluit, quod sane in legisactione per

(74) Idem, quem supra laudavimus, Aemilius Portus ita haec vertit: „*Tullius autem non his solum institutis se popularem esse demonstravit, quibus et Senatus auctoritatem et patriciorum potentiam imminuere visus est, sed in iis etiam, quibus regium imperium imminuit, de cujus auctoritate et potestate ipsemet dimidium detraxit.*“

judicis postulationem aliter se habet (75), denique quod leges a se ipso latas iis regulas praescripsit, quo quam dilucidissime significatur, fuisse Servii judices tales, qui a rege et a magistratu in singulis quibusque causis certa instructione omnino non regerentur. Quare in una legisactione per sacramentum Servii constitutionem obtinuisse putandum esset, cum nec in manus injectione nec in pignoris capione ullus judicis usus esset. Ast in ipsa legisactione per sacramentum demum e *lege Pinaria*, quae sine ulla dubitatione post legem XII Tabularum lata est, judicis datio venit (76). Nam non id *legem Pinariam* mutasse, judicem, qui antea *confestim* datus sit, dari *tunc demum* post triginta dies, id jam inde patet, quod nisi judex singularis et proprius initio fuisset legisactioni per judicis postulationem, haec eo nomen trahere vix potuisset. Primam igitur explicationem narrationis Dionisii irritam esse judico.

Secundo argumentari possit, fuisse Servii judices *magistratus, quibus tota jurisdictio privata delagata sit*, quod quidem refellere

(75) Qui contrarium opinantur, omnem rationem, qua disceptationis divisio inter magistratum et judicem nititur, nescire videntur!

(76) Gajus Com. IV. §. 16.

omnium facillimum est. Si enim accuratius expendimus, quarum rerum cognitionem rex apud priscos Romanos habuerit, id certe dicendum est, et inter patres et inter plebejos causas privatas eum disceptasse omnes, at propter crimina in plebejos modo animadvertisse, non aeque in patres, quod potius ipsis patribus (rege praeside) competebat (77). Nam quod fuisse regi etiam cujusvis generis homines puniendi jus legimus (78), nihil aliud id fuit, quam poenae et imprimis mulctae irrogatio, si contra ipsum regis imperium peccassent, ad quam solam etiam restringendum est, quod a rege quoque provocationem fuisse memoriae traditum est (79). Et ipsius hujus poenae jus etsi non totum quidem, tamen certe amplissimam ejus partem rex amit-

(77) Livius I. 26. II. 61. Dionisius II. 9. (*τοὺς μὲν εὐπατρίδας — δικάζειν*) II. 14. VIII. 77. Ideo etiam Livius I. 49 Tarquinio Superbo in opprobrium vitiumque vertit, cognitiones capitalium rerum istum per se solum „*sine conciliis*“ exercuisse. — Ceterum cave, ne cum Waltero Geschichte der R. R. I. p. 82 propter Pomponium L. 2 §. 16 D. de orig. jur. I. 2 aliter statuas. Nam est sane Pomponius de sola lege *Publilia* de provocatione intelligendus.

(78) Dionys. II. 13.

(79) Cicero de Rep. II. 31. Seneca Epist. 108.

teret necesse erat, si omnem privatarum actionum notionem mandasset magistratibus, cum illius poenae irrogationi haec indoles esset, ut eodem modo in quovis imperio, adeo in ipsa jurisdictione contineretur, ideoque et liberae reipublicae magistratibus competeret (80), atque ipsi ineesset majestati et ob hanc causam curiis semper data (81) et denique et tribubus concessa esset (82). Si igitur jam ob hanc unam causam verisimile non sit, SERVIUM ab omnibus privatarum rerum judiciis sese abdicasse, omnino defendi id non posse eo cernitur, quod Consulis potestatem, paucis exceptis, non aliter limitatam videmus, ac veterum omnium regum fuerat (82a). Nam et de plebejorum criminibus Consulem (83) cognovisse (ita tamen, ut e lege *Publilia* (84) provocari posset ad populum) dum

(80) L. 2 §. 16 D. de orig. jur. (I. 2) L. 151 D. de officio ejus, cui mand. est jurisdict. (I. 21) L. 5 §. 1 D. cod. L. 3 D. de jurisdict. (II. 1.)

(81) LIVIUS I. 46.

(82) LIVIUS II. 35. III. 31 et 56—58. DIONYS. VII. 66.

(82a) Cfr. DIONYS. XI. c. 1.

(83) LIVIUS II. 5. Quod ad hunc locum attinet, BRUTUS plebejus fuit; ceteros LIVIUS dicit fuisse „ignota capita."

(84) DIONYS. V. 19. LIVIUS II. 8 et 55 et X. 9. VALER. MAX. IV. 1 1. PLUTARCH. Poplic. c. 11.

lege XII Tabularum omnia judicia publica ad centurias translata sunt (85), et poenas multasque eum irrogasse (86), omnesque causas civiles judicasse nemo ambigit. Cum autem in Consules regis potestas transfusa sit, inde jam refutatur, SERVIUM TULLIUM proprios magistratus instituisse, qui, sine rege, judicarent privatas causas.

Interpretemur igitur, SERVII *judices fuisse Centumviros.* Jam clara omnia sunt et perspicua. Etenim cum nec omnes civiles causas Centumviri dijudicent, nec eae, quas dijudicant, ad istos spectent solos, non haesitandum in eo est, quod Consules quoque postea judicia privata exercuisse videmus. Et cum Centumvirorum judicium fuerit proprium tribunal, inde jam declaratur, qua re iis SERVIUS TULLIUS in perpetuum praescripserit certas leges. Quod autem ad ipsas has leges attinet, quas a SERVIO latas DIONYSIUS dicit fuisse, non quidem quinquaginta istas de contractibus et injuriis (87) intelligendas putem (87a), aut siquidem omnino

(85) CICERO de Legib. III. 19 de Rep. II. 36 pro Sextio c. 30. Cfr. etiam POLYBIUS VI. c. 12.

(86) ZONARAS VII. 17.

(87) DIONYS. IV. 13.

(87a) Aliter judicat G. F. PUCHTA Gewohnheitsrecht I. p. 11.

hae intelligendae sint, sunt certe eatenus modo, quatenus justam dominii transferendi causam praebere possint, sed ad eas potissimum spectasse SERVIUM persuasum mihi est, quae de legitimo rerum mancipi dominio erant, quodque dominium ille in censu constituendo sine dubio tetigerat. Nam praesertim de dominio ex jure Quiritium Centumviros cognovisse, quis est, quin sciat? At censui censendo non alias res SERVIUS voluit, quam res mancipi, quarum quis legitimo jure dominus erat. Ex quibus id sane apparet, fuisse quandam conjunctionem inter Centumviros et ea, quae ad censum pertineant. Non repugnat sane huic sententiae, quod Centumviri non solum de rebus mancipi judicaverunt; quis enim dubitabit in NIEBUHRII (88) partes ire, qui contendit, *res mancipi* priscis temporibus non modo eas fuisse, quae postea ita dictae sint, sed *omnes potius pretiosiores, quarum quis non solus possessor, sed dominus fuerit?*

Cujus rei argumenta proferre non alienum erit. Et sunt quidem haec (89):

---

(88) Roemisch Gesch. I. p. 475 seq.

(89) Ne, si minus firma haec ab aliis judicentur, summi ingenii virum in malae notae periculum ego adegisse

1) Quod Fabricium Rufinumque et aurum et argentum factum in censu professos esse scimus (90).

2) Quod *mancipii* verbo veteres omnino pro *dominio* utuntur (91).

3) Quod *omnis legitimi dominii* signum hasta est (92). Hujus vero hastae signum non a Quiritibus, veteri Titiensium nomine, quod postea toti populo solemne factum est, esse deducendum, sed profectum esse e SERVII centuriarum instructione et armatura sequenti capite prolixius demonstrabimus.

4) Quod *margaritas* quoque et serioribus temporibus mancipatas legimus (93). Nullo enim modo defendi posse, etiam nec mancipi res mancipationem recipere, mihi quidem constat (94).

---

videar, lectores faceendi certiores sunt, eam solam, quam primo loco posui, NIEBUHRII rationem esse, ceteras me excogitasse.

(90) NIEBUHR. l. c.

(91) CICERO ad Famil. VII. 29 et 30. LUCRETIUS CAR. de rer. nat. III. v. 985. SENECA Ep. 72.

(92) GAIUS Com. IV. §. 16.

(93) PLINIUS Hist. Natur. IX. c. 53.

(94) Multos esse, qui aliter sentiant, notum est: vid. FRID. AD. SCHILLING Bemerkungen über Roemische Rechtsgesch. (Leipz. 1829) p. 161 seqq.

Quid enim, quaeso, cum quinque testes Centumvirorum classes repraesentent, quis et in minimis quibusque rebus ad alium transferendis tam clarum et solemne testimonium desiderari posse et flagrari putet, et si putet, quo dicat repraesentatas Centurias testibus esse in re, quae nihil ad istas pertinuerit?

5) Quod *„Censui censendo agri proprie appellantur, qui et emi et venire jure civili possunt“* apud FESTUM (95) exstat. Quibus verbis declaratur, et omnem agrum scl. Italicum censui censendo olim fuisse, qui civili modo alienari possit, et quovis civili modo alienari quem agrum leges permiserint, in censum venisse. At cum jam Jcti non *omnem agrum Italicum*, sed *sola praedia Italica* (96) res mancipi suis temporibus fuisse testentur (97) et eos agros, qui seriori aevo inter res mancipi non fuerunt, acquirendi legitimus modus traditio

---

(95) Exstat s. v. Censui censendo.

(96) Quo differant agri a praediis cernitur e L. 18 D. de usuf. (VII. 1.) L. 9 §. 6 D. eod. L. 211 D. de verb. signif. (L. 16) collat. L. 1 D. comm. praed. (VIII. 4) L. 4. §. 1 D. quib. in caus. pig. tacit. (XX. 2) L. 1 D. de reb. cor. qui sub tut. (XXVII. 9) L. 189 D. de v. s. (L. 16.)

(97) ULPIANUS Fr. XIX. 1. GAJUS Com. I. §. 121.

sit, tam late antiquitus patuisse censum, quam supra diximus, e FESTO intelligi licet.

Quae omnia cum ita sint, nullus equidem dubito NIEBUHRIO, judices SERVII fuisse Centumviros arbitranti, calculum adjicere.

Jamjam eo disputatio nostra flectitur, ut de Centumvirorum *electione* agamus. De qua, quamquam fere tot diversas esse sententias vidimus, quot sint capita, tamen ad unum omnes viri docti auctorem suum et propugnatorem laudant

FESTUM s. v. Centumviralia Judicia

> *Centumviralia Judicia a Centumviris sunt dicta. Nam cum essent Romae triginta et quinque Tribus, terni ex singulis Tribubus sunt electi ad judicandum, qui Centumviri appellati sunt, et licet quinque amplius, quam centum fuerint, tamen quo facilius nominarentur, Centumviri sunt dicti. Centumviralia judicia, quae Centumviri judicabant.*

In trivio situm videtur, quod FESTUS Centumviros ex tribubus electos dicit, inde non sequi in tributis comitiis esse creatos, eosque qui ita opinati sint, in aperto versari errore. Est enim e tribubus eligi nihil nisi id, quod et ipse FESTUS statim diserte explicat, e civibus, qui singulis tribubus adscripti erant, certos sumi,

contra vero in tributis comitiis eligi significat, civibus tributim simul convocatis communibus suffragiis creationem rite et praeside magistratu fieri, quod autem in Centumviris eligendis factum esse nec Festus nec alius veterum scriptor auctor est. Sed ne iis quidem, qui semper ex tribubus Centumviros desumptos putant Festus noster fidem praebet. Etenim nihil aliud ex ejus verbis elici potest, quam *aliquando ita factum esse*: an vero semper id servatum et jam inde a Centumviralis judicii primordiis custoditum, nec in posterum unquam mutatum sit, in medio relinquit. Nec sane id ad rem quicquam facit, quod, Centumviri unde dicti sint, Festus declarare voluit. Est enim hic sententiarum nexus: Centumviralia judicia a Centumviris sunt appellata; Centumviri vero sunt viri, qui ex tribubus judiciorum habendorum causa ita electi sunt, ut terni ex singulis tribubus caperentur, — et quamquam cum triginta quinque tribus essent, non accurate centum electi, sed quinque et centum sunt, tamen appellati sunt Centumviri. Cur Festus ita non dicat, si modo tempus omnino fuerit, quo et ex tribubus electi judices et nominati Centumviri sunt, equidem non video. Nam quod singulare exhibet et in ipsa creatione et in nomine Centumvi-

rorum, tum certe exstitit, ita ut nihil in opprobrium verti Festo possit, si antiquioribus temporibus aliam rationem secuti Romani sint.

Quam ob rem neque illud affirmari recte potest, eorum sententiam, qui *ex solis Plebejis judicium nostrum compositum contendant*, Festum tueri. Quum enim ex eo non liqueat, tuncne jam, cum patricii tribubus nondum inerant, an eo demum tempore, quo et hi ipsi in tribus recepti erant (98), Centumviri ex tribubus sumpti sint, id quoque in suspenso haeret, num unquam plebeji exclusis patribus vocati ad Centumviros sint, an minus. Aliud vero testimonium, quo haec prodantur, non habemus: et ratio quid statuere suadeat, sequenti capite demonstrabimus. Utcunque res se habet, expresse annotare, desiisse sensim sensimque judicium nostrum plebejis proprium esse, opus non erat. Quis enim est, quin sciat, quam maxime florente adhuc libera Romanorum republica, patricios una cum privilegiis amisisse

(98) Quando id factum sit, etsi certo non constat, tamen lege jam XII Tabularum ita constitutum esse, verisimiliter conjici licet, quamquam veterum nemo expressim tradat, et Livius IV. 24 et V. 30 et 32, ex quo collectum est, etiam aliam interpretationem admittat.

omne a plebe discrimen, ita ut lege ac jure diversus patrum plebisque ordo amplius non fuerit (99)? Talis autem cum non fuerit, scilicet non potuit Centumvirale judicium uni ordini proprium esse.

De *modo, quo ipsa electio Centumvirorum facta sit,* nihil memoriae traditum legimus apud veteres. Quae igitur diversarum sententiarum verisimilior sit, et toti tum Centumviralis judicii rationi et fini, tum similium usui magis conveniat, num ea, quae Praetori eligendi potestatem tribuat, an quae sortem regnare velit, an denique quae ad plebem deferat creationem, non ante accurate perpendi potest, quam omni diligenter exposita judicii nostri indole ac natura. Per se quidem clarum est, si ex solis plebejis judicium conflatum non esse ostenderimus, corruere quoque fundamentum, quo ab ipsa plebe Centumviros esse designatos sententia nititur. Recedit autem haec sententia in eo ab ista, secundum quam in tributis comitiis Centumviri creati putantur, quod et *in conciliis* et *in conventibus* plebis electionem factam censeri possit, quod sine dubio maximi momenti est. Nam quamvis priscis temporibus omnem plebis com-

(99) Cfr. Walter Gesch. d. R. R. I. p. 124.

meatum coetumque non comitia, sed concilium dictum esse (100) conjici possit, tamen hoc nomen postea usurpatum est, si non tota multitudo, sed pars aliqua convocabatur (101). Et similem quandam notionem putemus conventui fuisse (102). Etiamsi igitur comitiis tributis

(100) Minime tamen de plebejorum hominum coetibus tantum hoc verbum usu venit, sed usurpatur quoque de patriciorum congregationibus et totius populi conventibus. Cfr. Livius I. 36 et VI. 22.

(101) Gellius *N. A. XV.* 27. „*In eodem Laelii Felicis (ad Q. Mucium) libro haec scripta sunt: Is qui non universum populum, sed partem aliquam adesse jubet, non comitia, sed concilium edicere debet. Tribuni autem neque advocant patricios, neque ad eos referre ulla de re possunt; ita ne leges quidem proprie, sed plebiscita appellantur quae tribunis plebis ferentibus accepta sunt. Quibus rogationibus ante patricii non tenebantur, donec Q. Horatius* Dictator *eam legem tulit, ut eo jure, quod plebes statuissent omnes Quirites tenerentur.*“ — Ne ratio nostra in textu proposita futilis judicetur, praetermittendum non est, Laelii Felicis temporibus dudum jam tribus complexas esses omnes cives Romanos.

(102) Festus *s. v.* Conventus *quatuor modis intelligitur: uno cum quemlibet hominem ab aliquo conventum esse dicimus: altera cum signifi-*

nullo modo adscribi posset Centumvirorum electio, quippe quae plane aliena esset ab iis creationibus, quae comitiis istis competerent, id sane non impediret, quominus singulae quaeque tribus singillatim eos tres tribules designassent, qui ad judicandum inter Centumviros ex tribubus eligendi essent. Id jam indubitatum est, ideo quod comitiis nullae partes fuerint in Centumviris denominandis, aeque non fuisse conciliis, colligi non debere.

Inter opiniones de Centumvirorum origine vulgo circumlatas, quae nitantur probabili auctoritate, quaeque ea destitutae sint, postquam jam vidimus, omnem judicii rationem, quatenus ad argumentum nostrum pertinet, explicandi sequenti capite periculum faciemus.

---

catur multitudo ex compluribus generibus hominum contracta in unum locum: tertio cum a magistratibus judicii causa populus congregatur: quarto cum aliquem in locum frequentia hominum supplicationis aut gratulationis causa colligitur. — Ad nos spectare videtur quam secundo loco Festus tradit verbi significationem.

CAPUT TERTIUM.

Criticiae artis duae partes sunt: altera humilior et magis trita, quae nihil in examen vocat, nisi prodita res num satis firma auctoritate stabilita sit: altera nobilior ac politior, quae istos fines supergreditur, inque iis probandis vel reprobandis versatur, num ex internis rationibus traditae res verae verisimilesque judicandae sint; num obstet aliquid, quod vel ipsos auctores negligentiae, ignorantiae, erroris, falsi accusare possit; num, quae tradita sunt, ita sint comparata, ut cum ceteris omnibus, quae aliunde norimus, bene congruant. Et altera quidem parte in praecedenti capite functi sumus, altera nunc jam fungemur. Neque vero mirari quis debet, si et talia laudabimus, iisque contra adversarios utemur, quae ab istis vulgaris sententiae defensoribus explicari et ad certam rationem redigi omnino haud possint, quippe quae ita cum ipsa Centumvirorum origine atque electione conjuncta sunt et geminata, ut ex his ipsis omnis, qua indigent, ratio et declaratio ad illas redundet necesse sit. Nam nemo recte dubitabit, quin id verti possit in opprobrium tralaticiis sententiis, quod res, quas enodare de-

bent, non possint enodare, cum id ipsum, quod non possint, justam suspicionem injiciat, falsas eas esse.

Centumviralis judicii formam, indolem, totam denique rationem non apud exteros quaesitam atque ab his repetitam esse, sed esse apud solos Romanos excultam, et ex proprio Romanorum statu institutisque iisdem propriis emanatam et deductam, etsi ipsa curiose enarrata judicii fine ac natura luculentissime accuratissimeque demum perspici possit, id tamen non obstat, quominus levissima eorum argumenta, qui et Graecos et Germanos Centumvirorum inventores primos conditoresque habendos volunt, refellamus ac refutemus. Quum enim utriusque sententiae defensores certum in medium proferant judicium, quod imitatos Romanos esse opinantur, jamjam ea, quae de Centumviris sunt notissima sexcentiesque decantata, ad comparationem instituendam satis superque sufficiunt.

Graecum judicium, ad cujus imaginem Centumviri nostri instituti narrantur, *Ephetarum* est. Sed profecto quid conferendi, ne inepte dicam copulandi, Ephetas cum Centumviris Romanis ansam praebere possit, nihil equidem invenio aliud, quam judicum numerum, qui ex AGAMEMNONIS institutione in Ephetis *centum*

fuisse traditur (103), etsi ne de hoc quidem satis constet (104). Cetera omnia in ambobus judiciis alia sunt ac diversa. Nam primo quod *ad electionem* attinet, antiquissimis temporibus parem et ex Argivis et ex Atheniensibus Ephetarum numerum captum scimus (105), postea vero secundum DRACONIS sanctionem ex Atheniensibus virtute conspicuis, deminuto jam judicum numero, factam electionem esse legimus (106). Tum quod ad res, quarum cognitio apud Ephetas fuerit, imprimis de caedibus (*δίκαι φονικαί*) eos judicasse et certissimum et notissimum est (107). At criminum persecutio ac punitio Romanorum Centumvirorum haud fuit. Scio quidem multos aliter sensisse cum propter complures locos, infra indicandos explicandosque rectius, tum propter

---

(103) HARPOCRATION s. v. *Ἐπὶ Παλλαδίῳ.*

(104) SUIDAS s. v. *Ἐφέται* octoginta judices fuisse dicit, qua de re cfr. MEURSIUS Att. Lect. lib. IV. cap. 5 (in J. GRONOVII Thes. Antiq. Graec. Tom. V.) p. 1888.

(105) HARPOCRATION l. c.

(106) POLLUX Onomast. VIII. 10.

(107) Cfr. H. M. E. MEIER u. G. F. SCHÖMANN Attischer Procesf (Halle 1824) p. 11 et p. 15 seqq.

PHAEDRI Fabul. III. 10 v. 33 seqq.

Accusatores postularunt mulierem,
Romamque pertraxerunt ad Centumviros:
Maligna insontem deprimit suspicio,
Quod bona possideat. Stant patroni fortiter
Causam tuentes innocentis feminae.
A Divo Augusto tunc petiere judices,
Ut adjuvaret juris jurandi fidem,
Quod ipsos error implicuisset criminis.

Et profecto si sana omnia sint in his PHAEDRI versibus, et falsi nihil, nihil suppositicii inveniatur, tam clare legimus Centumviros etiam in criminibus inquirendis plectendisque esse versatos, ut equidem non videam, quomodo istud contineri hoc testimonio negari queat. Nec eorum sententiam magis probandam puto, qui cum jam fuerit et principium et caput hujus quaestionis apud Centumviros agitatae, an mulier heres facta sit mariti, per accidens ab iisdem judicibus de parricidii crimine cognitum esse opinantur, atque illorum, qui PHAEDRUM miscuisse totum judiciorum ordinem et turbasse censent. Nam illis repugnat, quod poenae irrogatio ad Centumviros haud spectare potuit, nisi criminum persecutio omnino iis competierit, et de ipsius poenae irrogatione esse quaesitum ex sequenti PHAEDRI narratione apparet: hos vero

cum in scriptoris fidem invehant eamque sine justa causa vellicent temere facere, quis est, quin consentiat (108)? Vero enim vero futilem esse PHAEDRI versum 34 corruptumque et quam maxime indigere emendatione persuasum mihi est.

Scribendum igitur pro verbo Centumviros puto *Triumviros* intelligendosque eos, quibus carcerum cura demandata sit, ita ut verba

Romamque pertraxerunt ad Triumviros

nihil aliud sibi velint, quam in carcerem vinculaque Romae ut conjecta muliercula sit accusatores effecisse. Quid enim? nonne constat et Triumviros Romae ad Maeniam columnam de ipsis criminibus cognovisse et judicasse (109)? Cui si respondeatur, non de aliis illos jurisdictionem exercuisse, nisi de hominibus plebejis abjectaeque conditionis, imprimisque de servis, equidem non multum trepido neque anxie id

---

(108) Certum suppono, quas nos sub PHAEDRI nomine habemus fabulas, aut certe earum plurimas, revera ex antiquitate servatas genuinasque esse, quamquam et sunt et fuerunt critici, qui id negarint.

(109) CICERO pro Cluentio c. 13. VALERIUS MAXIMUS Memorab. Hist. VI. 1 10 et XIII. 4 2. VARRO de L. L. V. 14 collato CICERONE Divinat. in Caecil. c. 16.

curo. Possum enim ita fuisse (110) sine ulla concedere controversia, et id solum urgere, nihil esse, quo talis conditionis haud fuisse ream evinci possit. Possum et hanc ipsam defendendi rationem abjicere, conjecturamque meam hoc modo tueri, ut a Praetore, qui quaestionem, quae erat inter eas, quas SULLA ceteris perpetuis quaestionibus adjecit (111), de parrici-

(110) Est sane haec ipsa sententia multis dubitationibus obnoxia, et ego multo probabiliorem eam judico, quae a NIEBUHRIO (Römische Geschichte Bd. III. p, 481) defensa est, qui quidem vir cl. omne capitale crimen, cujus in ipsa perpetratione deprehensus quis sit, a Triumviris capitalibus punitum putat. Nec verendum est, ne minus accurata distinctio et inter capitales Triumvirosque nocturnos et inter flagitii punitionem delinquentisque detentionem istius sententiae origo facta sit.

(111) Ante SULLAM in usu fuerunt quaestiones perpetuae hae: primo omnium antiquissima eaque a PISONE adornata (CICERO Brutus c. 27) de repetundis, tum de ambitu, de majestate et de peculatu (nam quaestio de vi ex lege PLOTIA sive PLAUTIA Sullanis recentior est vid. CICERO pro Milone c. 13 pro Coelio c. 19. DECLAMATOR de harusp. resp. c. 8. collato AULO GELLIO Noct. Att. XIII. c. 3). Addidit SULLA quaestiones *tres* de sicariis et veneficis, de falsis et denique de parricidiis, sed addidit idem Praetores *quatuor*, qui his quaestio-

diis exercebat (112), aut, cum Romae ream domicilium non habuisse, sed in Italia vel in provincia habitasse e verbis scriptoris colligi li-

---

nibus praecessent teste Pomponio L. 2 §. 32 D. de orig. jur. I. 2. Et quatenus de sicariis *duo* Praetores quaerere solebant, quod satis probatur e Ciceronis orat. pro Cluentio c. 53, ille a Pomponio traditus numerus, cujus Cornelius Sulla auctor fuerat, cum ipsis a Sulla institutis quaestionibus concordat. Attamen cum viri docti jam ante Sullam *sex* fuisse Praetores, quatuor qui exercerent quaestiones et insuper urbanum et peregrinum putarint, non plures, quam duos ceteris adjecisse Sullam eo confirmarunt, quod tum ex aliis locis (vid. Cicero in Piso. c. 15 pro Milone c. 15. Declamator post redit. in senatu c. 9. Suetonius Jul. Caes. I. c. 41. August. II. c. 37. Tacitus Annal. I. c. 41) tum imprimis e Dione Cassio H. R. XLII. c. 51 colligunt, ante Caesarem *octo* modo creatos esse. Quod tamen neutiquam Pomponii fidem frangit. Nam et praeter urbanum Praetorem peregrinumque non singulae cuique quaestioni quotannis singulum Praetorem creatum, sed ipsum urbanum peregrinumque Praetorem interdum praefuisse etiam perpetuis quaestionibus constat. Cfr. Sigonius de Judiciis II. c. 4 (Graevii Thes. II.) p. 1742 E. seq.

(112) L. 2 §. 32 D. de orig. jur. I. 2. Cicero pro Roscio Amer. c. 5.

ceat, a Senatu, cui harum ipsarum rerum inque tales reos jurisdictio fuit (113), aut denique ab iis, ad quos speciali lege Senatusque mandato res delegata sit, de muliercula cognitum esse confitear, at Triumviros non eosdem fuisse, apud quos accusatores feminam postularint, itemque judicum nomine, qui Caesaris opem implorarint, hos quidem intelligi, non vero Triumviros summo jure interpreter. Quum igitur veram genuinamque scripturam in PHAEDRO restituisse mihi videar, nihil omnino superesse dicendum est, quo inter Centumviros Romanos Ephetasque similitudinem fuisse, nedum nexum, probetur.

A *Germanis* vero Centumvirorum originem *insulse repeti*, inde jam cernitur, quod SERVII temporibus, quibus judicii nostri incunabula esse adscribenda e haud spernendae auctoritatis testimonio vidimus, alterum populum nullam alterius notitiam habuisse inter omnes constat. Accedit quod judicium populare veterum Germanorum non tribunal fuit, certis judicibus specialiterque designatis constitutum, certaque ordinatum forma, sed totam populi gregem ad judicandum venisse et liberos homines majores

(113) POLYBIUS H. VI. c. 13. CICERO Brutus c. 22.

ad unum omnes sententiam dixisse in isto judicio litteris traditum est. Accedit et id, quasi totius argumenti caput, *quod Germani omnem rationem, quae prima Centumviralis judicii semina apud Romanos genuit, nesciverunt et ignorarunt,* nec ullum hujus rei vestigium apud istos nobis innotuit. Quae omnia ita sane sunt comparata, ut opinionem, quam diximus, plane spernamus merito ac respuamus.

De *tempore, quo conditum judicium nostrum sit et de auctore ejusdem primo,* quas circumferri diversas sententias vidimus, iis supersedere jam possumus retractandis de novo recensendoque, quas ob causas improbandae sint. Quum enim in hac re vix aliud praebere firmum praesidium possit, acuque rem tangere iterum nihil aliud videatur, quam expressa veterum auctorum testimonia, at ceteras sententias iis prorsus carere, eam vero, quae SERVIUM TULLIUM laudat primum Centumvirorum auctorem, DIONYSII HALICARNASSENSIS loco, quamvis paulo obscuriori, explicaverimus defendi, jam recte omittamus cramben recoquere.

Eo tamen diligentius primam judicii nostri quasi faciem delineandi inque totam ejus indolem investigandi periculum hoc loco faciemus, et pro virili parte quae vera Centumvirorum electio

fuerit et quem ad finem omnino constituti isti sint, explicabimus. Quod ut recte procedat, paulo altius rem repetamus, indeque a rebus, quarum cognitio Centumvirorum fuerit initium faciamus necesse est.

Dum Jcti nostri priores *cujusvis generis res privatas,* quotquot in litigium deducerentur, apud Centumviros actas opinabantur (114) et omnino pro singulorum libitu aut illos adire aut Praetorem licuisse sibi persuadebant, in alia omnia tandem celeb. Bethmannus-Hollweg discedebat, ad hunc satis exiguum modum judicii nostri partes revocans, *ut unice de antiqui juris vindicationibus istud judicasse contenderet solamque dominii ex jure Quiritium cognitionem ei tribueret* (115). Quae quidem sagacissima Hollwegii explanatio laude sua fraudari haud debet, etsi in paucis rebus a vero aberrasse mihi videatur. Nam praeclara eorum somnia de medio sustulit vir doctissimus, qui quamlibet litem apud Centumviros oratam esse voluerint: in quo si paulo latius progressus sit inque eum errorem inciderit, ut nonnulla ne-

(114) Unus Siccama est, qui non de aliis rebus, nisi hereditariis Centumviros judicasse voluit.

(115) Zeitsch. für gesch. Rechtswiss. Bd. V. p. 369, p. 376 et p. 377.

glexerit, quae praeter istas vindicationes ad Centumviros spectant, id equidem ignoscendum potius, quam acriter vituperandum puto. At ita esse revera, ut diximus, subibimus jam probandi onus.

1) Exstat exemplum luculentissimum, quod docet *filium e potestate dimissum* de patris testamento inofficiosi querelam apud Centumviros movisse eademque ita obtinuisse, ut isti extremam voluntatem ut impiam rescinderent.

Valerius Maximus M. H. VII. 7 2.

Item M. Anneji Corseolani splendidissimi equitis Romani filius a Sufenate avunculo suo adoptatus, testamentum naturalis patris, quo praeteritus erat, apud Centumviros rescidit, cum in eo Tullianus, Pompeji Magni familiaris, ipso quidem Pompejo signatore, heres scriptus esset. Itaque plus illi in judicio cum excellentissimi viri gratia, quam cum parentis cineribus negotii fuit. Ceterum quamvis utraque haec adversus eum nitebantur, tamen paterna bona obtinuit. Nam L. quidem Sextilius et P. Popilius, quos M. Annejus sanguine sibi conjunctos eadem ex parte, qua Tullianum, heredes fecerat, sacramento cum adolescentulo

contendere ausi non sunt; tametsi praecipuis eo tempore Magni viribus ad defendendas tabulas testamenti invitari poterant. Et aliquantulum adjuvabat heredes, quod M. Annejus in Suffenatis familiam ac sacra transierat. Sed arctissimum inter homines procreationis vinculum patris simul voluntatem et principis viri auctoritatem superavit (116).

Quum autem filius patris naturalis heres legitimus haud fuerit, sed *bonorum possessione demum petita acceptaque* ad testamenti impugnationem bene praeparatus venerit (117), quo dicamus, quaeso, de jure Quiritium hic et liti-

---

(116) Non (bonorum possessione contra tabulas petita) egisse filium praeteritum hereditatis petitione possessoria, sed potius inofficiosi querelam eum instituisse tum ex ipsius Valerii verbis, quibus in ulteriore narratiunculae parte usus est, colligi licet, tum quam certissime apparet e. L. 6 §. 4 D. de bonor. poss. c. t. XXXV. 4. *Adoptio tam diu nocet, quam diu quis in familia aliena sit. Ceterum emancipatus ad bonorum possessionem parentum naturalium venit, sed emancipatus vivis iis non etiam post mortem eorum; hoc enim verius est, post mortem eorum emancipatum non admitti.*

(117) L. 7 D. de inoff. test. V. 2.

gatum et judicatum esse? Quod apud Praetorem posterioribus temporibus talis filius ficta hereditatis petitionis formula utebatur, nihil profecto ad nostrum argumentum spectat. Nam cum apud Centumviros legisactionibus actum sit, nec in his *talis* fictionis usum fuisse sciamus, quid istud, quod diximus, pro nostra re vel infirmanda vel reprobanda faciat, equidem non video. Et de ipso ex jure Quiritium dominio nec de alio controversiam apud Centumviros fuisse cum contendat BETHMANNUS, exempla ista eatenus quoque ei repugnant, quod, familia bonorum possessori data ac restituta, non in legitimum jus singulae res veniunt, sed in bonis modo eaedem habentur.

2) Sunt quidam *alii casus, in quos plane eadem quadrant, quae de praecedente specie diximus.* Nimirum et dupondiis notum est, ante *SCtum Orphitianum,* quod MARCO AURELIO COMMODOque regnantibus factum constat, ex jure civili libros in matris bona haud successisse ab intestato, nisi mater in manum patris convenerit, at talia matrimonia jam sub prima tempora imperatorum sensim sensimque desiisse. Tamen exempla habemus, quae et antequam SCtum istud liberis subvenerit et manu deficiente, matris quoque testamentum

inofficiosi querela impugnatum a liberis apud Centumviros demonstrant (118). Quod quidem fieri iterum aliter non potuit, nisi *petita acceptaque bonorum possessione*, ita ut et in his causarum figuris liberi non de hereditate contenderent, quae ex jure Quiritium ipsorum esset, sed de familia, quae secundum bonorum possessionem ad ipsos spectaret.

3) Etiam *de libertate et de civitate* Centumviros judicasse in veterum scriptorum libris deprehendisse mihi videor. Ita enim legitur apud Ciceronem de Orat. I. c. 38.

Nam volitare in foro, haerere in jure ac Praetorum tribunalibus, judicia privata magnarum rerum obire, in quibus saepe non de facto, sed de aequitate ac jure certetur, jactare se in causis Centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum et ratorum, ceterarumque rerum innumerabilium jura versentur, cum omnino quid

(118) Suetonius de clar. Rhetorib. c. 6. Plinius Epist. V. 1.

suum, quid alienum, quare denique civis an peregrinus, servus an liber quisquam sit, ignoret, insignis est impudentiae. Id quidem negari haud posse, quod CICERO ultimo loco *de cive ac peregrino* et *de servo ac libero* dicat, ad ipsum Centumvirorum judicium spectare, facile est demonstratu. Nam ut jam missum faciam effrenatae esse licentiae, verba ista ad sola Praetorum tribunalia referre, cum, ut ita fiat, justam causam esse necesse sit, at non aliam causam adversaria pars afferat, quam quod fieri velit, igitur ut hoc, idque quod inde sequitur, esse praesumendum, aeque ad Centumviros pertinere dictum istud, atque ad Praetores, jam omittam, quis unquam, quaero, viva voce ita fari consuevit, ut primo unam, tum longo verborum ambitu alteram rem enarrans, denique ad has res, quas narraverit, explicandas uno verborum fluctu progrediens, edicat aliquid, ulla distinctione haud adjecta, quo ad *solam priorem rem*, tot interpositis verbis fere oblitam, respiciat? *Contrarium* fieri, ita ut postremi modo ratio habeatur, loquentium usui convenit: istud non aeque. At CICERO hic Crassum loquentem inducit. Nec ipse Cicero tam turbulenter scripsisse putandus est. — Sed quid tandem ad rem nostram facit,

quod ea quoque verba, quae diximus, ad Centumviros pertinent? Nonne et in aliis causis v. c. in hereditate petenda vel in singula re vindicanda maximi momenti esse potuit, scire, civisne quis sit, an peregrinus, utrum liberi conditione fruatur, an servi? Sane scire *an sit* et in aliis multis causis interesse poterat; at CICERO dicit *quare sit:* et in has ipsas causas data opera inquirere unius liberalis judicii est, solisque praejudiciis singulare. Quare et haec praejudicia de servitute et de civitate apud Centumviros esse acta, ambigi haud debet.

Id igitur solum quaeri potest, utrum semper, ut dicunt, incidenter modo et si alia lis ejus fortuito ansam praebuerit, Centumviros dixisse de civitatis et libertatis statu, an minus? Nihil profecto est, quod illud statuere suadeat et ita voluntarie interpretari in universum si licuerit, bonam Aedepol! ego partem earum rerum, quarum disceptatio revera Centumviris fuerit, facile iis abjudicabo v. c. omnes de servitute actiones. Accedit quod alium locum habemus, qui istam interpretationem plane respuit QUINCTILIANUS Inst. Orat. IV. 1.

Quibusdam in judiciis maximeque capitalibus, ut apud Centumviros, ipsi judices exigunt sollicitas et accuratas actiones.

Pro scriptura *ut apud Centumviros* quamquam nonnulli Codd. Mss. suppeditant *et apud Centumviros*, illa tamen non minus bonorum librorum auctoritate firmatur, quam haec, et aeque ferri potest. Nam capitalia judicia hic non de criminis poena esse intelligenda, sed explicanda de civili personarum statu alii jam notarunt et communi Romanorum dicendi usu satis illustrarunt (118a). De statu igitur quaestiones motas et apud Centumviros esse QUINCTILIANUS aperte probat, si lectionem istam *ut* sequamur. At non minus hic locus argumento est, non solum incidenter, quod vulgo dicitur, praejudiciales causas in judicio nostro actas esse. Nam ita si fiat, ipsum judicium haud dici debet *capitale*, sed potius v. c. in hereditatis vindicatione utrum liber quis sit, an servus si in quaestionem venerit, ipsum judicium semper manet *hereditarium*, cum denominatio a re primaria sumenda, non vero ab accessoria sit. QUINCTILIANUS vero, rhetor iste ludique ma-

(118a) Eodem modo interpretanda sunt verba PLINII Epist. V. 1. Quod autem idem PLINIUS Epist. V. 21 et accusatores et reos in causa Centumvirali nominat, reus etiam omni privata lite conventus solenniter dicitur, accusatores vero hi sunt, qui inofficiosi querelam agunt.

gister, quin accurate scripserit, cave dubites, ne Deos ejus Manes impie laedas!

Quod autem offendit viros doctos, Decemviros slitibus judicandis, et antequam cum Centumviris conjuncti sint, de liberalibus causis cognovisse, idque ipsum primaria facta est causa, cur item Centumviros easdem judicasse restiterint, spero fore, ut infra omnem litem componam, totamque rem eo dissolvam, accuratius ut demonstrem, quae singulae liberales causae relictae Centumviris sint, et quae demandatae Decemviris quasque ob causas sint.

4) Denique et *tutelarum jura*, a CICERONE loco supra citato tradita, arctioribus circumscripta esse finibus a BETHMANNO puto, quam fas est. Non alia enim intelligi vir doctissimus vult jura, quam quae in hereditate, vel ab intestato tutelae gestione probanda ab agnatis, vel testamentaria per patronum libertae, quae sine ejus auctoritate ultimam voluntatem solenniter fecisset, rescindenda, vim usumque habent. Equidem BETHMANNO libenter concedo, tutelae actionem in Centumvirale judicium nunquam esse deductam idemque nunquam fuisse tutelare tribunal: at cum praeter tutelae actionem eaque jura, quae ipse BETHMANNUS Ciceronis verbis complexa credat, plura inveniantur et notione

hacce comprehendenda et comprehensa verisimiliter, interpretationem istam, justo arctiorem, puto esse rejiciendam. Sed ut accuratius afferam, quaenam tutelarum jura praeter ipsa, quae et BETHMANNUS voluit, apud Centumviros sint disceptata, non quidem excusationum privilegia, quippe quae cum ipsa tutelae actione firmius conglutinata ac conjuncta sint, multoque minus tutelae delationes, si nec legitimus nec testamentarius tutor est, indicendas, cum hoc deferendi jus omnino non sit jurisdictionis (119), intelligi posse censeo, *at juris cognitionem, si lis quaedam inter testamentarium et legitimum tutorem de tutelae munere fungendo orta sit,* haud alienam a Centumviris fuisse mihi persuadeo. Est enim tutoris datio inter testamenti capita: est ea, quae familiae emptor solemnibus verbis *mandatam tutelam custodelamve meam recipio* una cum bonorum datione comprehendit (120), et cujus deinde Quiritium testimo-

(119) L, 6. §. 2. D. de tutel. XXVI. 1.

(120) Non quidem haec verba ad solam personae tutelam spectare, putandum est, sed et rerum i. e. omnium bonorum hereditarium tutelam iisdem contineri ex integra formula videre licet: at non restringi debere ad eam solam, quam secundo loco diximus, sed referenda quoque esse ad alteram, idque ipsum

nium imploratur a testatore. Cur igitur istam, quam diximus, controversiam, quippe non complexam CICERONIS verbis, excludamus, equidem justam causam invenire haud possum, et ob id ipsum Centumviris eam tribuo (121).

---

causam esse factam, cur tutelae verbum usurpatum sit, neminem facile fugiet. Nec inde scrupulum injici nobis patiamur, quod scimus, tutelam jure quidem cedendo ad alium transferri, mancipando non aeque: nam id eo spectat, si tutela legitima ut jus singulare alienatur, non verò si testamentaria una cum ceteris bonis ultima voluntate defertur.

(121) Centumviros unquam de fideicommissis quoque judicasse putari non debet. Locus, quem probandandae ejus rei causa in medium proposuerunt viri docti, affirmantibus minime favet. Tamen ὡς ἐν παρόδῳ eum attingam, quippe quem corruptum putem. Leguntur L. 13 D. de inoff. test. V, 2 e SCAEVOLAE libr. III. Respons. excerpta haec: „*Titia filiam heredem instituit, filio legatum dedit; eodem testamento ita cavit: ea omnia, quae supra dari fieri jussi, volo ab omni herede bonorumve possessore, qui mihi erit etiam jure ab intestato. Item quae dari jussero, ea uti dentur fiantque fideī ejus committo. Quaesitum est, si soror Centumvirali judicio obtinuerit, an fideicommissa ex capite supra scripto debeantur? Respondi, si hoc quaeratur, an jure eorum, quos quis sibi*

Jam si paucis repetamus, quas lites vidimus apud Centumviros motas esse, vix judicii vim ignotam oblitteratamque dicamus. Pertinuerunt igitur ad Centumviros et omnes juris civilis vindicationes; tum diversi generis testamentariae quaestiones interque has ipsas non eae solum, quae in legitimo Quiritium jure versabantur, sed et eae, quibus res in bonis num habere quis debeat agitabatur, deinde tales,

---

ab intestato heredes bonorumve possessores successuros credat fideicommittere possit, respondi: posse. Paulus notat; probat autem, nec fideicommissa ab intestato data deberi, quasi a demente.“ — At vero si filia et heres instituta sit eademque etiam obtinuerit, omnino testamenti clausula, de cujus effectu hic agitur, in quaestionem vocari haud potuit, quoniam tunc omnia, quae testatrix dari fieri voluit, ex ipsa testamenti primaria et solemni dispositione, non vero ex ista clausula adjecta valebant. Igitur sine dubio scribendum ita est: Titia *filium heredem instituit, filiae legatum dedit.* Equidem nescio an haec scriptura Codd. Mss. vel, quae eorum loco sunt, veterum editionum auctoritate confirmatur; an per meram conjecturam restituenda sit: et si sit, num jam alius mihi eam praeripuerit, an minus. Ipsius vero transpositionis veritas luce clarior est.

quae ad patrimonium omnino haud spectabant; denique ingenuitatis et civitatis praejudicia. Quorum omnium haec communis indoles est, ut *cum comitiorum centuriatorum ratione* habeant et familiaritatem quandam et conjunctionem. Nam *e legitimo dominio* census fiebat, indeque, si quis nec inter sex suffragia, nec inter equitum centurias, nec denique inter fabrum, cornicinum tubicinumque numerum recipiendus sit, cujus in ipsis istis comitiis classis esset, aestimabatur. *Testamentorum quoque solemnia* haud aliena fuisse ab iisdem centuriis jam eo cernitur, quod quinque testes in familiae mancipatione adhibitos advocatosque repraesentant quinque illorum comitiorum classes: cui accedit et id, quod etiam ea testamenta omnia, quae in procinctu condita postea dicebantur, itemque plebejorum iis testamentis, quae per familiae emtionem advocatis quinque testibus et libripende condebantur, antiquiora in campo Martio coram ipsis comitiis centuriatis, expedito exercitu, antiquissimis temporibus facta esse ingeniosissimus NIEBUHRIUS jam vidit (122). Denique sine

(122) Römisch. Gesch. Bd. I. p. 504. „*Mit diesen hundert und zwanzig Centurien, wie sie unter den Waffen standen, mag das Heer die Testamente genehmigt haben, welche der*

dubio maximum momentum habebat in comitiis centuriatis, *utrum civis quis esset, nec ne,* cum inde penderet, num ad comitiorum istorum communionem adspirare posset, an non. Idem dicendum est de *ingenuitatis* quaestione; nam etsi e SERVII TULLII sanctione et libertini ordinis homines centuriarum juribus participes fuerint (123), postea tamen iisdem sunt pri-

---

Soldat vor der Schlacht machte; denn nimmermehr war es nach dem ursprünglichen Sinn eine blosse Verkündigung vor Zeugen, sondern für Plebejer eben sowohl ein genehmigender Beschluss der Gemeinde, als für Patricier wenn die Curien ein Testament oder eine Veränderung der Gentilrechte gesetzlich machten. Und so bezweifle ich nicht, dass die Plebejischen Testamente ursprünglich vor den Comitien der Klassen, dem exercitus vocatus, auf dem Marsfelde genommen wurden: an dessen Statt, da es nur noch eine Förmlichkeit galt, die schlachtfertigen ordines, die viri vocati, treten konnten, obwohl hier die Stimmen anders abgewogen waren.“

(123) DIONYS. HAL. IV. c. 22. Sed quae de libertinis scilicet a SERVIO jam in tribus urbanas receptis et ad suum usque tempus in iisdem retentis hariolatus DIONYSIUS est, ineptissimae profecto nugae sunt. cfr. LIVIUS IX. c. 46.

vati, cum census tributim ageretur (124), itaque non in censum venirent, quippe qui tribubus ad Appii Claudii usque tempora (ann. CDXLIX. p. u. c.) non inessent (125), at iterum solus census, exceptis iis, quos supra enumeravimus, facultatem ceteris daret suffragiorum.

Quaecunque igitur privata ratio tangebat comitatum populi Romani maximum, ejus disceptatio commissa mandataque Centumviris erat. Quare ipsum judicium nostrum sine dubio ideo constitutum recte dicamus, ut *quae summa civium Romanorum privata jura eademque ejus indolis erant, ut ad publicam eorum conditionem facerent*, illa Centumviri nostri cognoscerent. Data judicibus ex ipso populo electis earum rerum judicandarum facultas erat, quae ad ipsius populi majestatem spectarent, ne temere ullus videretur per magistratum singulumque judicem ab hac majestate repulsus, ne injuste videretur ad ejusdem communionem

---

(124) Livius XXIX. c. 37.

(125) Livius IX. c. 46. Ab hoc demum tempore *omnibus tribubus emovere* idem est, quam civitatem eripere (Livius XLV. c. 15) et aeque nunc demum qui civis non erat dici potuit *homo sine tribu* vid. Florus Epit. R. R. III. c. 16.

adscitus, et denique ut ipse populus omnium ad sese spectantium rerum cognitionem habere et disceptationem videretur.

Et quod diximus Centumviros fuisse quasi comitiorum centuriatorum privatos judices, id mirifice adjuvatur sustentaturque ipsius nostri judicii signo. Fuisse hoc signum *hastam Romanam* notissima res est, saepius apud veteres memorata (126). Quaeritur autem, unde ipsum hoc hastae signum Centumviri ut suo judicio singulare acceperint. Cujus rei, veteribus praeeuntibus (127), haec plerumque datur explanatio: hastam esse legitimi dominii signum, quare idem datum sit Centumvirali judicio, quia hoc judicium imprimis de dominio ex jure Quiritium cognoverit. Cur autem hasta legitimum dominium significaverit, hanc adjiciunt causam, aut quod quae ex hostibus cepissent, ea maxime sua esse veteres crediderint, aut quod *quiris* sive *curis* antiqua vox Sabinica idem denotet atque hasta (128), verbum *Quirites* vero ab isto

(126) Sueton. Aug. II. c. 32. Valerius Maximus M. II. VII. 8 1. Martial. Epigr. VII. 62 v. 7. Statius Silv. IV. 4 v. 43. Gaj. Com. IV. §. 16.

(127) Gajus l. c.

(128) Plutarch. Quaest. Rom. c. 87. Romulus c. 23. Festus s. v. curis. Ovidius Fast. II. v. 477 seq.

etymo sit deducendum (129), ita ut formula *ex jure Quiritium* cognationem quandam cum ipsa hasta habeat (130). At favete linguis! bona verba quaeso! Miselli cujusdam ludi magistri argutias haec jam sapiunt, non simplicem illam solidamque rationem, quam communis hominum vita sequi ac arripere solet. Praeterea quoque repugnat, quod nomen *Quirites* rectius deducunt et ipsi veteres (131) ab urbe *Curibus*, et solum dominii legitimi signum ideo non jam totius judicii Centumviralis esse potuit, quod non semper ac perpetuo Centumviri unice in litibus de dominio ex jure Quiritium dirimendis versati sunt. Est igitur nova nobis exploranda causa illius signi, quod Centumviris praepositum scimus, eaque lautior altera probabiliorque.

Aliam vero classem in SERVII comitiis aliter fuisse armatam et instructam memoriae quidem tradiderunt antiquitatis Romanae scriptores; at ex ecrundem relationibus scimus *quinque clas-*

---

(129) Cfr. PRISCIAN. Grammat. IV. p. 633 Putsch.

(130) Vid. nota nostra 128 citat.

(131) LIVIUS I. c. 13. PLUTARCH. Romul. c. 16 LAURENTIUS LYD. de Mag. P. R. I. c. 5 (qui tamen ipse putat, Quirinum, Romuli cognomen, rectius derivari a Graeco verbo *κύριος*). — FESTUS s. v.

sium communia arma fuisse hastas (132), *iisdemque quoque usos equites esse*, ita ut sex suffragia patriciorum et duodecim equitum centuriae eatenus quinque classibus essent pares, ut omnes hastas gestarent (133).

Dubitari quidem possit de *quinta* classe, cum LIVIUS hanc haud alio modo instructam dicat, quam fundis lapidibusque missilibus. At accuratius et secundum totius rei militaris Romanorum rationem majori cum veritatis specie DIONYSIUS tradit, eosdem et jacula (σαυνία) gessisse (134). Hoc ipso quoque jaculo sine dubio excellebant illius classis homines ab accensis velatisque, qui inter proletarios erant, et

---

Quirinia tribus. OVIDIUS Fast. II. v. 480. AURELIUS VICTOR de vir. ill. c. 2.

(132) Non quidem plane eadem hasta, quae pedestribus data est, equites usi sunt; nihilominus tamen et hi ipsi hastam, etsi diversam ab illa, habebant. POLYBIUS H. VI. 25.

(133) Inde factum est, ut hasta, sicuti semper inter militaria dona erat, iisque dabatur, qui prae ceteris fortiter pugnaverant, ita antiquissimis temporibus *omnibus commune et solum* quorumvis militum fortissimorum *praemium* esset. Cfr. SALLUST. Jug. c. 85 FESTUS s. v. hasta POLYB. VI. c. 37.

(134) DIONYS. IV. c. 17.

quamquam ideo potissimum reliquo exercitui aggregabantur velati et accensi, ut in mortuorum locum substitui eorundemque armis indui possent, antea tamen, quam fieri id poterat, fundis et lapidibus pugnabant, eamque ob causam et *ferentarii* dicebantur (135). Confirmat et id DIONYSII narrationem, quod quinta classis una cum velatis accensis omnes tunc temporis levis armaturae pedestres milites complectebantur, interque hos fuisse, qui jaculis utebantur, pro certo scimus (136). Id ergo cum evicerimus et extra dubitationis aleam posuisse nobis videamur, quintam centuriarum classem jaculis armatam fuisse, nemo jam recte ambiget, an verum perspexerimus, quippe qui omnium quinque classium communia arma hastas fuisse contenderimus. Nam ipsius *hastae nomine* etiam *jaculum* esse designatum, idque illa, ut generali denominatione, comprehendi (137), neminem facile fu-

---

(135) FESTUS s. v. velatus et s. v. adscriptitius.

(136) Cfr. LIVIUS XXVI. c. 4. XXX. c. 33. coll. VARRONE de L. L. VI. 3 et FESTO s. v. rorarii.

(137) Cfr. POLYBIUS IV. c. 20 *Τὸ δὲ τῶν γρόσφων βέλος ἔχει τῷ μὲν μήκει τὸ ξύλον ὡς ἐπίπαν δίπηχυ, τῷ δὲ πάχει δακτυλιαῖον, τὸ δὲ κέντρον, σπιθαμαῖον, κατὰ τοσοῦτον ἐπὶ λεπτὸν ἐξελαμένον καὶ συνωξυσμένον,*

giet harum litterarum peritum inque libris veteribus versatum (138).

Haec igitur militaris hasta omnibus istis classibus aeque tributa, ob hanc ipsam causam legitimi dominii signum factum est, quod ex hoc dominio census aestimabatur; eademque ista hasta ideo data quoque et praefixa Centumvirali judicio est, quod Centumviri iterum eas res privatas judicabant, quae momentum aliquod habebant in comitia centuriata hisque cum ipsis arcte cohaerebant.

Judicii nostri indole satis jam delineata ac descripta, videamus nunc, an de Centumvirorum *pristina electione* firmius aliquid certiusque eruere possimus. Nam quod apud FESTUM de hac ipsa re legitur, ad judicii nostri primor-

---

ὥστε κατ' ἀνάγκην εὐθέως ἀπὸ τῆς πρώτης ἐμβολῆς κάμπτεσθαι, καὶ μὴ δύνασθαι τοὺς πολεμίους ἀντιβάλλειν· εἰ δὲ μή, κοινὸν γίγνεται τὸ βέλος et vid. etiam de Bojorum armis explic. APPIAN. H. R. IV. c. 1. Τὰ δὲ δόρατα ἦν οὐκ ἐοικότα ἀκοντίοις, ἃ Ρωμαῖοι καλοῦσιν οὐσσούς, ξύλου τετραγώνου τὸ ἥμισυ καὶ τὸ ἄλλο σιδήρου, τετραγώνου καὶ τοῦδε καὶ μαλακοῦ, χωρίς γε τῆς αἰχμῆς.

(138) Vid. not. 136 at. et MACROBIUS Saturnal. VI. c. 1 ex tertio et octavo libro ENNII.

dia minus recte transferri praecedenti capite demonstravimus Et cum hanc, quam explicavimus judicii vim ac naturam deprehendisse nobis videamur, non facile verisimile putamus, jam statim ab initio e tribubus Centumviros constitutos esse. Quae enim causa antiquitus fuit tributim eos eligendi, quum ipsis cum tribubus nihil esset istis commune? Et qui jam ab initio ita eligi poterant, cum id, quod ad comitia centuriata spectaret, patricios quoque tangeret, hi ipsi vero regum aetate primisque reipublicae liberae temporibus tribubus non adscripti essent? Accedit quod omnino tribuum ratio antiquitus tam restricta erat et coarctata, ut ne earum quidem rerum dispositio ex eadem fieret, quae proprie secundum eam ordinanda videretur, quod ne sine justa causa a nobis dictum credatur, ratio velim habeatur v. c. Tribunorum creationis Aediliumque plebis e legibus demum *Publilia Laetoria*que tribubus injunctae (139). Multo minus ergo tale quid, observato tribuum ordine, factum priscis temporibus putari potest, cujus sola cum centuriis conjunctio erat. Equidem plane in ea sententia sum, *singulos Centumviros electos esse ex*

(139) Livius II. c. 56 — 58.

ipsis centuriis, et tum demum hunc ordinem interruptum perversumque esse, cum et alia plura, quae proprie centuriis competerent, ad tribus delata sint, omniaque, quae non ad leges ferendas, majorum auspiciorum magistratus creandos et bellum indicendum pacemque spondendam facerent, tributim sive in comitiis sive sine comitiis exercere populus Romanus consueverit.

Quod, quatenus ad nostram rem spectat, accuratius persequendi statim studium impendemus, si antea demonstravimus, *quam pristinam genuinamque Centumvirorum eligendorum rationem* putemus. Qua tamen in enarranda re si minus recte versari videar, prae ceteris mihi excusatio tribuatur veniaque velim, cum haud facile ullus, quem Clio paulo sinistris nascentem adspexerit oculis, ita hanc quaestionem extricare ac declarare possit, ut nihil dubii, nihil ancipitis, denique nihil obscuri relinquatur. Destituti enim fere sumus veterum testimoniis, et vix pauca fragmenta supersunt, quae in hoc naufragio salutis integritatisque spem alere jubent. Dabo ego, quod valeo.

Quas a SERVIO confectas quinque centuriarum classes scimus, eas inter junioris aetatis homines et senioris ita divisas fuisse constat, ut aliis centuriis hi, illi aliis adscriberentur. Et juniores ut adversus exteros in bellum irent et foris proeliarent dicti sunt, senioribus demandatum omne est, quod ad urbis defensionem, munimen, tutelam spectaret (140). Si igitur e centuriis eligendi Centumviri erant, secundum istam centuriarum indolem et conditionem potissimum *e senioribus* sumi debebant, *praetermissis plane junioribus*. Nam Centumviralis judicii nec usus nec statio alio loco erat, quam Romae (141), et togata militia in urbe exercenda non insulse adnumerari potest tutelae rationi ponique inter urbis munimina. Etsi igitur imprimis ad hostilem impetum repellendum avertendumque seniorum centurias esse adhibitas haud negemus, tamen ad hoc unum easdem referri minus rectum verumque judicamus, sed ita potius arbitramur, togatam quoque militiam eam,

---

(140) DIONYS. II. 16. LIV. I. 43.

(141) Cfr. ZIMMERN G. d. R. Pr. Bd. III. §. 14. p. 37.

quae non per singulos propria vi et auctoritate, sed per totas centurias, etsi fortasse per singulos repraesentatas, gerenda esset, cujusque in ipsa urbe partes sustinendae viderentur, aeque illarum seniorum centuriarum propriam fuisse et ab his solis, exclusis junioribus, factam. Ad magistratus capessendos quivis admittebatur, qui nec ordine suo nec legibus annalibus inhabilis erat, quia magistratus propria vi officio fungebatur; item in suffragia ipsorum comitiorum sive de legibus, sive de magistratibus, sive de pace belloque habendorum omnes mittebantur juniores aeque ac seniores, quia haec suffragia nullo modo ad militiam spectabant, sed ipsius majestatis toti populo Romano competentis quaedam exercitio erant. At vero ad Centumvirale judicium, centuriatim eligendum constituendumque, qui inter juniorum centurias erant, adspirare haud poterant, cum et ipsae centuriae in hoc judicio repraesentarentur et judicandi munus simul ad urbis tutelam munimenque spectaret, id autem ipsum solis senioribus commissum esset.

Quae quibusdam classibus adjectae erant *fabrum, tubicinum cornicinumque centuriae* quamquam hae quoque inter juniores seniores-que divisae erant et distributae (142), tamen eas omnino non venisse in judicii Centumviralis communionem verisimile est. Nam earum ad certam quandam classem facta adnumeratio non ex censu fiebat, quare nec omnia jura, a censu profecta, iis esse communicata credi potest. Nec ipsa hasta iis signum peculiare esse poterat, cum istam haud gestarent, sed potius inermes essent, quam ob solam causam colligi jam licet, non fuisse inter eas centurias, ex quibus Centumviri eligerentur.

Quaeritur *de duodecim equitum centuriis et de sex suffragiis patriciorum.* Ad illa primo quod attinet, nullam juniorum ac seniorum distinctionem inter istas factam esse dubitari nequit (143). Attamen neutiquam persua-

---

(142) Dionys. IV. 17.

(143) Nam nec ab ullo veterum auctorum talis divisio memoratur, nec non abhorret plane a prisca equitum ratione.

dere nobis possimus, equites omnes prorsus repulsos a judicandi munere esse inter Centumviros obtinendo. Quam ob rem nihil sane superest, nisi ut ex singulis quibusque centuriis equitum petitos esse judices conjiciamus.

Alia *sex suffragiorum*, quibus patricii adsignabantur, ratio erat. Quod accuratius ut perspici possit, paulo altius rem derivemus necesse est. Adscripti antiquissimis temporibus omnes patricii tribus erant tribubus (144), et ex diversa origine popularique cognatione singulae eorum gentes istis addictae (145). Inter quas *Lucerenses* minorum gentium patres erant, *Ramnenses* contra *Titiensesque* majorum. Sed cum jam a TARQUINIO PRISCO Latini homines in urbem recepti civitateque Romana do-

---

(144) Apte DIONYSIUS IV. c. 14 has ROMULI tribus γενικάς dicit, SERVII vero TULLII τοπικάς.

(145) DIONYSIUS II. c. 7. LIVIUS I. c. 13 et X. c. 6. PLUTARCH. Romul. c. 16. LAURENTIUS LYDUS de M. P. R. I. c. 9. IDEM de mensib. Φεβρουάριος c. 4 et Ἀπρίλιος c. 6. FESTUS s. v. Lucerenses et Titienses. VARRO de L. L. IV. c. 9. FLORUS I. c. 1. AURELIUS VICTOR de vir. illust. c. 2.

nati essent, eorum proceribus inter patres Romanos locus dabatur, eorumque gentes *secundorum Ramnensium, Titiensium, Lucerensium* nomine pristinis tribubus adjungebantur (146). Inde factum est, ut jam *primi Luceres* majoribus adnumerarentur gentibus, omnes vero qui TARQUINIO PRISCO auctore e Latinis facti essent patricii Romani, patrum minorum gentium nomine comprehensi (147), eo uterentur jure eaque conditione, quibus antea *veteres Lucerenses* fructi essent. Quae quidem cum ita essent, SERVIUS TULLIUS iisdem sub nominibus, quibus inaugurati essent, omnes patricios homines sex suffragiis adscribebat, *primos Ramnes, Tities, Luceres* tribus, et iterum tribus *secun-*

---

(146) LIVIUS I. c. 36. DIONYS. III. c. 29. FLORUS I. c. 5. AURELIUS VICTOR de vir. illust. c. 6. LAURENTIUS LYDUS de M. P. R. I. c. 16.

(147) CICERO de Republ. II. c. 20. *Isque (L. Tarquinius) ut de suo imperio legem tulit, principio duplicavit illum pristinum patrum numerum; et antiquos patres majorum gentium appellavit, quos priores sententiam rogabat; a se adscitos, minorum.*

dos Ramnes, Tities, Luceres. Haec vero suffragia quamvis ex hominum aetate, qui inerant, haud constituebantur, tamen quatenus *ipsae gentes* primorum patrum *seniores* erant, quam secundorum, deinde *ipsarum gentium* ratio habita in condendo patrum ordine erat, SERVIUS autem TULLIUS tandem *veterem inaugurationem* retinebat (148), majorum gentium suffragia habuisse familiaritatem quandam et conjunctionem cum seniorum centuriis illasque his respondisse, eodemque modo minorum gentium suffragia respondisse juniorum centuriis videre jam licet. Idem firmatur quam maxime eo, quod minorum gentium patres dictos etiam *juniores patres* esse invenimus (149). Igitur *e solis majorum Ramnium, Titium, Lucerum* tribus suffragiis captos Centumviros esse probabiliter sentio, minorum gentium patribus aeque ac juniorum centuriis plane praetermissis.

Jam si diligentius exponamus, *quomodo in componendo Centumvirali judicio veteres ver-*

(148) LIVIUS I. c. 43.

(149) Cfr. qui collecti sunt loci apud WALTERUM Geschichte d. R. R. p. 16 not. 30 et p. 78 not. 8.

satos esse arbitremur, e singulis seniorum equitumque centuriis suffragiisque patrum majorum gentium, uti in superioribus explicavimus, unum esse electum, qui inter Centumviros judicaret, putamus. Quod si statuatur, inde numerus Centum ad amussim procedit. Nam

Primae Classis, quae censum habebant,
seniorum centuriae erant - - - XL
Item *secundae classis* - - - - - - - X
tertiae classis iterum - - - - - - - X
et aeque *quartae classis* - - - - - - X
quintae classis denique numerabantur ex
censu seniorum centuriae - - - XV
Quibus si addantur omnes *equitum* centuriae XII
et *majorum gentium suffragia* - - - III

efficitur ipse numerus C

qui quidem numerus, cum jam centuriatim unus eligeretur, accurate ostendit etiam Centumviralis judicii frequentiam.

Sed ne quis scrupulum sibi injici inde patiatur, quod sextae classis homines plane omisimus, notare non a re videtur, unum DIONYSIUM esse, qui hujus classis mentionem

injiciat (150), dum ceteri omnes non plures, quam quinque classes perpetuo laudant (151), ita ut verisimillimum sit, eos, qui minorem undecim millibus aeris censum haberent, in centuriam quidem redactos esse, sed classem non formasse. Quod idem cum ob eandem causam celeb. WALTERO (152) probatum sit, ego jam novam rationem adjicio hanc, quod DIONYSIUS postquam quinque modo classes enumeravit et in argumento pergens de tota et classium et equitum ratione exposuit, tum demum sextam classem addit, ex quo contorto et tumultuario scribendi genere facile colligi licet, veterem annalium scriptorem, quem DIONYSIUS Servii regis res gestas enarrans excerpsit, iterum de quinque modo classibus dixisse, et DIONYSIUM ipsum, cum insuper pauperum hominum *centuriam unam* memoratam invenerit, nec quo hanc referret sciverit, inde sextam classem ex propriis

(150) DIONYS. IV. 18.

(151) LIVIUS I. 45. CICERO de Repub. II. 22. GELLIUS N. A. X. 28.

(152) Geschichte des Rösch. Rechts p. 31. not. 12.

finxisse. Quae sine dubio nos non temere versatos esse in judicibus ex classibus colligendis evincent.

Equidem non magni id facio, neque eximiam probandi vim ei ipsi tribuo, quod iste, quem diximus, numerus Centum ex calculo profectus est: nec tamen plane id omittendum despiciendumque est, cum sponte nobis sese obtulerit et fortuito factum putari vix possit. Nam cum aliud exemplum habeamus, quo Romanos, si ex consortium numero denominationem collegii alicujus desumsissent, postea, licet ipso numero mutato, tamen priorem denominationem retinuisse confirmatur (153), sane qui a nobis propositus est antiquus Centumvirorum numerus, si cum eo comparamus, quem Festus exhibet, analogia quadam defendi, negari haud potest. Quod quidem an aeque de contraria ratione jure meritoque dicatur, dubium est. Nam ceteri, qui nomen e numero traxerunt, duumviri, triumviri, quatuorviri, quinqueviri, sexviri, decemviri, quindecimviri, vigintiviri, vigintisex-

(153) Servius ad Virgil. Aene. VI. v. 73.

viri inde omnes dicti ita sunt, quod nomen numerum ipsorum genuinum accurate repraesentat: Centumviri igitur hujus generis soli essent, in quibus idem non obtineret, si jam ab initio plures vel minores, quam centum fuisse poneretur. At aliquatenus ipsius, quem evicimus, numeri veritas defendi etiam potest e tribuum ratione, ex quibus ipsis serioribus temporibus Centumviros captos esse scimus.

Satis notum est postea plane aliam rationem centuriarum fuisse, quam fuerit SERVII aetate, etsi ipsae vicissitudines accuratius ignorantur, singularumque centuriarum novus ordo, numerus ac modus parum constat et omnino totum hoc argumentum fere desperandum est. Nec ego quorumnam sententia sit verior, num eorum, qui quinque classes plane jam esse sublatas et abjectas, et praeter equitum centurias patriciorumque suffragia et proletariorum ac capite censorum multitudinem nihil superfuisse, nisi unam juniorum et unam seniorum centuriam, quae singulae cuique tribui inesset, nobis persuadere studeant, an eorum, qui ipsas quinque quidem classes semper viguisse ac durasse, at

cum omnes classes inter singulas tribus essent recipiendae centuriarumque ratio tribubus esset accommodanda, has jam centurias esse mutatas (alii auctas et adeo duplicatas dicunt, alii etiam minutas) contendant, igitur nec utra sententia verior sit judicium meum interponam, nec totam rem novis curis ac propriis studiis illustrandi periculum faciam, cum ejus rei vix par sim, et, etiamsi essem, tamen has partes nunc jam respuerem, quoniam totam hanc rem enarrare longum est et a proposito nostro nimis alienum. Id unum velim probe teneatur, LIVIUM expresse tradere, centurias, quae posterioribus temporibus obtinuerint, *post expletas triginta quinque tribus ad institutam a* SERVIO TULLIO *summam non convenire* (154). Si igitur verus est numerus noster, aeque accurate quadrare haud potest ad tribuum triginta quinque numerum et nihilominus ita comparatus esse debet, ut inde declaretur, cur nec plures viri, nec minores, quam tres e singula tribu in Centumvirale judicium lecti sint. Quod quidem

(154) LIVIUS I. c. 45.

bene mehercle procedit. Nam triginta quinque non ita continentur numero centum, ut nihil restet amplius, at cum quinque modo centenario numero desint, quominus triginta quinque tertia pars sit numeri centum, patet jam nec duos homines nec quatuor e singula tribu eligi potuisse, qui inter Centumviros judicarent, quia numerus ita confectus multo magis distabat a centum.

Veterem Centumvirorum electionem e centuriis factam tunc quoque temporis locum habuisse, cum primum centuriarum ratio exaequata cum tribubus est, probabiliter dici potest. Eo igitur modo sensim sensimque praeparata est electionis Centumvirorum translatio, quae inde a centuriis ad tribus transiit. Nam *seriori tempore Centumviros e tribubus captos esse* eorumque creationem nihil pertinuisse ad centurias, nec ad eas quidem, quae tribubus inerant, Pomponii Festi auctoritate quam maxime firmatur. Quo facto sine dubio et omne discrimen, quale inter juniores et seniores in eligendis Centumviris antea obtinuerat, jam sublatum est ac deletum prorsusque in desuetudinem abiit.

In eo tamen custoditam esse antiquam observationem conjici licet, quod *proletarii capiteque censi* ne tunc quidem inter Centumviros recipi poterant (155). Nam *totam judicii indolem cum ista electione mutatam neutiquam putari debet:* ast secundum ipsam hanc indolem jam fiebat proletariorum repulsus, qui igitur in posterum quoque servaretur necesse erat.

Restat, ut *de eligendi modo* dicamus. Jam per se patet, tam diu, quam diu centuriatim Centumviri caperentur in tributis comitiis eos creari non potuisse. Sed ne postea quidem ita electos putem, sicuti non credo, unquam comitia centuriata eorum creandorum causa habita esse. Nam Centumviri nec inter majores nec inter minores magistratus sunt (156), at vero sola *magistratuum* creatio comitiis com-

---

(155) Nec milites vulgo tunc conscribebantur *capite censi*, nisi aut summum periculum civitati imminebat, aut tumultuarie res agebantur. Sallust. Jug. c. 89. Gellius N. A. XVI. c. 10.

(156) Cfr. Bethmann-Hollweg in Silvis histor. jurisprud. dicatis T. V. p. 559.

petuit, minorum inde a florentissimis reipublicae Romanae temporibus tributis (157), et centu-

(157) Gellius Noct. Att. XIII. c. 14. *In edicto Consulum, quo edicunt, qui dies comitiis centuriatis futurus sit, scribitur ex vetere forma perpetua: NE. QUIS. MAGISTRATUS. MINOR. DE. COELIO. SERVASSE. VELIT. Quaeri igitur solet, qui sint magistratus minores: super hac re meis verbis nihil opus fuit, quoniam liber Messalae auguris de auspiciis primns, quum hoc scriberemus, forte adfuit, propterea ex eo libro, verba ipsius Messalae subscripsimus. „Patriciorum auspicia in duas sunt divisa potestates maxima sunt, consulum, praetorum, censorum, neque tamen eorum omnium inter se eadem, aut ejusdem potestatis: ideo quod collegae non sunt censores consulum aut praetorum; praetores consulum sunt. Ideoque neque consules aut praetores censoribus, neque censores consulibus aut praetoribus turbant aut retinent auspicia. At censores inter se; rursus praetores consulesque inter se et vetitant et obtinent. Praetor etsi collega consulis est, neque praetorem neque consulem jure rogare potest, ut quidem nos a superio-*

riatis ordinariorum omnium quidem pristina aetate (158), nisi quod curiae per tempus aliquod

---

ribus accepimus, aut ante haec tempora servatum est. Et ut commentario tertiodecimo C. Tuditani patet, quia imperium minus praetor, majus habet consul: et a minore imperio majus aut major collega rogari jure non potest. Praetores nos his temporibus praetore creante veterum auctoritatem sumus sequuti: neque iis comitiis in auspicio fuimus. Censores aeque non eodem rogantur auspicio, ante consules et praetores. Reliquorum magistratuum minora sunt auspicia: ideo illi minores, hi majores magistratus appellantur: majores centuriatis comitiis fiunt.“

(158) E magistratibus extraordinariis *Dictatorem* Consul dicit Livius IV. c. 13 VIII. c. 23 XXII. c. 8. Dio Cassius Excerpt. Vales. XXXV.; — *Magistrum equitum* dicit Dictator Livius IV. c. 13 XXII. c. 33 L. 1 D. de off. Praef. Praet. I. 11.; — *Interreges* vero antiquissimis temporibus decem primi Senatus quinque dierum vicibus facti sunt, postea patricii a magistratibus patriciis, praeeunte SCto, creati sunt. Livius I. c. 45. Pseudo-Cicero pro Domo c. 14. Appianus de Bello Civili I. c. 98. Dio Cassius H. R. XLVI. c. 45.

primo amborum Consulum, tum unius creationem sibi arrogaverant (159), seriori vero solorum majorum (160). Quid igitur? Num Praetori jus tribuimus eligendi? Id Deus averuncet! Erat enim ne ceterorum quidem judicum ipsa constituto in Praetoris arbitrio posita (161), quod summo profecto impedimento est, quominus Centumviralis judicii colligendi auctorem eum fingamus, quippe cui sola adsessorum, quorum certe conditio plane alia fuit, collectio (162), et adscribendorum ad album vel exstirpandorum ex albo nominum privatorum judicum satis arcta facultas (163) antiquitus data

(159) Livius II. c. 42 et III. c. 19 et c. 21.

(160) Gellius Noct. Att. XIII. c. 14 *in verb. minoribus creandis magistratibus, sed justius curiata data lege.*

(161) Gajus Com. IV. §. 18. Cicero pro Cluentio c. 43. — Et Cicero in Verrem II. 2 31 et Pseudo-Asconius in Verrin. orat. I. 6 ad publica judicia sunt referendi.

(162) Gellius Noct. Att. XII. 13.

(163) Cicero pro Cluent. c. 43. Gellius Noct. Att. XIII. c. 8. Nec obstat Seneca de Benef. III. c. 7,

erat. Nec quod Tribuni pro suo arbitrio (164) eos milites elegerunt, quos uni eaedemque legioni adscribendos putarent, pro simili Praetoris facultate in denominandis Centumviris facit. In militibus enim colligendis ratio habenda erat paris aetatis corporisque habitus, quae quidem ipsa causa fuit, cur illud, quod diximus, jus daretur Tribunis. Finis autem si deest, jam corruit ratio, quatenus inde de eodem Praetoris jure argumentari liceat. Nil igitur superest, nisi ut aut *singularum centuriarum* posteaque *singularum tribuum conventu*, *aut sorte* judices nostros constitutos dicamus. Ego propensior ad *priorem sententiam* tuendam sum, quam puto firma analogia defendi posse. Nam et *Curiones* scimus suffragiis electos esse, idque ita factum, ut quaevis curia suum designaret, e

---

cum quod ibi exhibetur unum ex capitibus sit, sine quibus Praetoris electio procedere haud debeat, eodemque modo Praetoris electionem eo quod narratum exstat apud Plutarchum C. Garchus c. 5 sublatam omnino esse non putamus.

(164) Polybius VI. c. 17 et 18.

tradita a Dionysio de hac re narratione colligi potest (165). Quo quidem in loco, ne id offendat, et temeritatis nos accuset, quod Dionysius hanc eligendi Curiones rationem a vulgari alienam dicit, juvabit jam annotasse, ejus verba ita recte non intelligi, ut solis Curionibus ista creandi ratio sit propria, eaque praeterea et ipsis Romanis minus usitata, sed judicasse eum potius, omnino Romanis peculiarem eam fuisse, cum contra apud alios populos aut vendendi sacerdotalia aut sorte conferendi mos obtinuerit. Et quemadmodum Curiones a singulis curiis, ita sine dubio etiam *tribuum praefecti triginta*, illos a Servio institutos dico (166), in uniuscujusque tribus speciali coetu communibus tribulium suffragiis sunt creati. Quae jam species cum cognationem quandam, eamque satis arctam cum nostra habeat, eo ego moveor statuere, in Centumviris eligendis idem esse observatum. Accedit, quod dili-

(165) Dionysius II. c. 21.

(166) Dionysius IV. c. 14.

gentius exploratis examinatisque iis eligendi rationibus, quibus Romani sorte uti solebant, magis magisque facile resistamus, eadem hac sorte Centumvirorum electionis eventum semper determinatum esse et praescriptum. Etenim quod ad ceteras (167) tam diversae istae planeque alius indolis sunt, ut nullo modo cum hac nostra specie comparari possint: quod autem aliquando sortem etiam in ipsis Centumviris creandis regnasse memoriae traditum est (168), ex ipsa hac narratione satis superque apparet, extra ordinem tunc id factum esse.

---

(167) Livius XXII. c. 35 XXXII. c. 28. Cicero ad Famil. VIII. 8. Sallust. de Rep. ord. II. c. 8. Tacitus Annal. XV. c. 19. Suetonius Aug. II. c. 47, Polybius VI. c. 18. Appianus H. R. VI. c. 49. Dio Cassius LIII. c. 13 et LIV. c. 26.

(168) Suetonius Vespas. VIII. c. 10. *Sorte elegit, per quos rapta bello restituerentur, quique judicia Centumviralia, quibus peragendis vix suffectura litigatorum aetas videbatur, extra ordinem dijudicarent, redigerentque ad brevissimum numerum.*

Quae de Centumviralis judicii indole deque componendi ejus ratione in praecedenti disputavimus, inde jam cernitur, quantum absit, ut iis adstipulemur, quibus *solos plebejos* in hoc et litigandi et judicandi consortium venisse placeat. Nec tamen diffiteor equidem, esse quaedam quae adversariorum sententiae favere videantur, si minus accurate res perpendatur. Etenim et ii, qui sententiam nostram, antiquitus e centuriis desumtos esse judices Centumviros, veram probabilemque putant, ita tamen adversariorum opinionem, plebeji ordinis judicium fuisse Centumvirale, fulciendam fortasse arbitrantur, ut ad quinque testes adhibitos et in familiae et in cetera omni mancipatione nos delegent, et uti his solae quinque comitatus maximi classes repraesentatae sint, idem etiam in Centumvirali judicio factum putent, ita ut nemini jam nec patriciorum nec equitum apertus ad id aditus pateret. Num igitur negabimus, habere illud ullam vel probandi vel certe persuadendi vim? Negabimus sane! Justam enim causam videmus, cur in mancipatione rei singularis et in

familiae venditione ita, uti diximus, factum sit: quam eandem causam vel similem in colligendo judicio nostro desideramus, imo ex hujus ipsius fine ac natura necessitatem oriri et patricios et equites simul cum quinque classibus ad judicii nostri communionem vocandi contendimus. Nimirum *in rei singularis mancipatione* ideo necesse non erat, ut etiam patres equitesque adhiberentur testes, quod horum neque publica conditio neque vindicandus in comitiis locus e patrimonii censu judicabantur, omniaque igitur quae ad hunc censum cognoscendum spectabant, aliena iis esse debebant, at ipsa mancipatio jam eam ob causam coram testibus istis fieri solebat, quia hoc alienandi modo et diminuebatur mancipantis et augebatur mancipio accipientis ea familia, ex qua census aestimabatur, quod nescientibus iis, quorum hujus intererat, agi non posse videbatur. Quod vero *in testamento per aes et libram faciendo* aeque testimonium perhibere nec suffragia nec equitum centuriae solent, non quidem eandem, quam retulimus, causam id effecisse opinamur, multo tamen minus

justam causam omnino latere censemus. Patricii enim in curiatis comitiis testamenta sua condebant, equitibus vero, cum hi omnes in bellum irent et antiquissimis istis temporibus fere semper cum accolis vicinisque populis Romani proeliarent, satis frequens in procinctu testandi ansa data erat (169), ita ut ceterorum hominum plebejorum ipsa testamentorum conditio pacis tempore facienda utrisque parum curae esset (170). Quae quidem *omnia in litibus a Centumviris dijudicandis alia sunt.* Cujus diversitatis rationum altera paulo subtilior est atque abstrusior, altera satis luculenta atque aperta. Nam

---

(169) Quamdiu et plebeji homines in ipsis comitiis centuriatis testamenta faciebant nec singularis forma testamentorum ea erat, quam postea in procinctu nuncupabant (id quod olim obtinuisse supra jam e Niebuhrii conjectura retulimus), neque diversitas ulla intercedebat, neque soli plebeji testes vocabantur suorum hominum testamentis.

(170) Tunc nimirum, cum testamentum per aes et libram jam plebejis peculiare erat, et testamentum in procinctu faciendum propriam formam induerat.

et interest sane aliquid, num sponte quis et volens de patrimonio suo censui censendo detrahat partem et ad alium transferat, an adversarius illo negante et nolente istam patrimonii partem suam esse ajat: tunc notitiam ejus rei habuisse solos commilitones sufficit; huc (intellige si litigatur) totum comitatum qui repraesentant interque eos et patricii et equites judicantes intercedant necesse est, quia jam de re certatur, quae ad publicam conditionem faciat, nec ipsius hujus publicae conditionis, cujus jactura e lite mota potest oriri, disceptatio apud unum ordinem esse debet, imo eatenus ad omnes spectat, quatenus summi imperii est, idque universo populo Romano competit. Idem obtinet si inter legitimum heredem et testamentarium quaestio movetur. — Altera vero diversitatis ratio, eaque quam planiorem diximus, haec est. Centumvirorum judicium, cum *propter omnes privatas causas* constitutum viderimus, quae cum comitiis centuriatis quandam communionem haberent, et inter tales etiam etsi exstiterint, quae minus ad patricios equitesque spectarent,

tamen cum multae sine dubio fuerint, quae ad hos aeque ac plebejos pertinerent, jam ideo *totum judicium* non e solis plebejis electum putari debet. At si ne antiquissimis quidem temporibus ita compositum fuit, multo minus postea id factum esse credi potest. Nam cum electio e centuriis facienda ita mutata esset, ut secundum tribus institueretur, dudum jam et ipsi patricii homines tribubus interfuerant, quorum igitur simili modo ratio habenda erat, quam ceterorum omnium.

Haec habui, quae de argumento proposito dicerem. Nec ego dubitarem nunc, finem disputationi imponere, nisi placuisset per compendium indicare, quae inde, quod primam Centumvirorum originem e SERVII TULLI centuriis profectam demonstravimus, in quo commentationis nostrae caput versatur, ceteris rebus ante nos parum intellectis lux affusa sit. Primo igitur *omnis judicii nostri indoles* nunc jam manifesta est et perspicua: tum *et quae causae* apud Centumviros et *cur* apud eosdem actae sint, accurate cernitur: deinde *Centumviralis*

hastae vera notio atque usus genuinus satis declaratur: item cur primis temporibus *centum* electi, et posteriori aetate *tres e singulis tribubus* desumpti sint videre nunc licet: denique *quae diversa ratio fuerit status quaestionum* et a Centumviris et a Decemviris slitibus judicandis extricandarum apparet. Et de ceteris rebus supra explicavimus; quod autem ultimo loco commemoravimus ejus absolvendi causa pauca nunc adjiciemus.

Eatenus Centumviros Decemvirosque eandem provinciam sustinuisse puto, quod utrique nunquam de aliis libertatis praejudiciis dijudicarunt, quam quorum nodus in eo situs erat, ut num *liber* quis *et simul civis* sit nec ne quaereretur; neque igitur eorum, qui in libertate morabantur, neque horum, qui inter peregrinos erant, de libertatis statu motas quaestiones ad Centumviros Decemvirosque trahi ibique peragi licuisse. Cujus rei cum, quod ad Decemviros pertinet, ego deprehenderim certissimum argumentum apud

CICERONEM orat. pro Caecina c. 33.

Cum Aretinae mulieris libertatem defenderem et Cotta Decemviris religionem injecisset, non posse sacramentum justum judicari, quod Aretinis ademta civitas esset, et ego contendissem, civitatem adimi non potuisse, Decemviri prima actione non judicarunt; postea re quaesita et deliberata sacramentum nostrum justum judicaverunt

totaque Centumviralis judicii indoles prohibeat, quin apud Centumviros nostros aliud obtinuisse statuamus, profecto familiaritatem quandam inter Decemviros et Centumviros in hujus generis litibus judicandis intercedentem suspicari possumus. Quae familiaritas etsi fortassis prima contemplatione vix alia videatur, quam eo tempore et Centumviros et Decemviros institutos esse, quo nec alius manumissionis modus obtinuerit, quam is, ex quo civitatis jura evenerit ([171]),

(171) Ego quum iis consentiam, qui in XII Tabulis statu liberi nomine talem significari putent, qui in libertate moretur, et ante XII Tabularum tem-

et peregrinis hominibus ne juris quidem gentium commercium concessum sit (172), tamen et quod tam pristina aetate duplex praeter Praetorem (173) judicium constitutum est de libertate et civitate cognoscens, et quod semper in posterum observatum est, ne de libertate judicarent ambo, nisi de ea, quae cum civitate conjuncta esset, arctior sane proditur ac firmior. Sed erat quoque, quo alterum judicium ab altero distaret. Nam Centumvirale judicium ab eo

---

pus nequaquam proferri posse primam Decemvirorum slitibus judicandis creationem censeam, hanc primam dubitandi rationem, quam in textum recepi, ab omni parte irritam esse persuasum mihi est.

(172) Antiquissimis temporibus Romanos tali jure usos esse, dubitari nequit, cum *peregrinus* idem significet, ac *hostis* Varro de L. L. IV. 1. Festus s. v. hostis. Nec obstant huic nostrae opinioni *ἰσοπολιτείας* jura, quia qui iis cum Roma communicatis fruerentur, Romae degentes instar civium Romanorum erant, cum praeter jura suffragiorum et honorum cetera omnia iisdem concessa essent.

(173) Nam huic quoque istarum rerum jurisdictionem etiam antiquiori aetate fuisse nemo recte dubitabit.

inde tempore, quo jam libertini ordinis cives in censum non vocabantur, istas praejudiciales causas, quibus actor hominem suum esse ajebat, et contra is, qui in servitutem vindicabatur, *se libertinum esse* contendebat, dijudicare omnino non poterat, cum facienda de libertinis cognitio secundum totam judicii indolem ad Centumviros tunc haud spectaret. Quae cum ita fuerint, constitutos Decemviros slitibus judicandis esse conjicio, qui talia, quae diximus, praejudicia dirimerent, dum ad Centumviros causae devolvendae essent, quibus alter *ingenuitatem* impugnaret, alter defenderet. Postquam vero ipsi libertini in tribus recepti sunt, res jam ad statum antiquissimum delapsa videtur, quo Centumviri de Decemviralibus causis cognoscebant, cujus rei exaequandae causa communicatam etiam cum Decemviris eam liberalium causarum jurisdictionem putem, quae antea Centumviris reservata erat. Tunc quoque primum Decemviros slitibus judicandis quaestionem, quae prius solis Centumviris peculiaris fuerat, utrum civis quis, an peregrinus sit, extricasse, putandum

est (174). Apparet igitur jam antequam ab Augusto Decemviri cum Centumviris conjuncti sunt (175), inter utrosque obtinuisse similem quandam rationem. Haec jam hactenus!

Si igitur recte et subtiliter de Centumviris disputasse nos censetis, lectores, calculum nobis adjicite, sin minus, meliora nos docete. Actum est, ilicet!

---

(174) Decemviros posteriori aetate sententiam dixisse etiam de tali lite, vidimus e Cicerone vel qui alius auctor est orationis pro Domo c. 29.

(175) Dio Cassius LIV. c. 26.

Errores typographicos, quorum omnino nec plurimi nec foedissimi commissi sunt, hos potissimum emendes velim, deprehensos a me, iterum, etsi oculis quam maxime fugitivis, plagellas perlustrante

Pro	*scribendum*
p. 10 l. 1 fortas	fortassis.
p. 11 l. 5 factam	factum.
p. 16 not. 30 Fettus	Festus.
p. 23 l. 11 aliquod	aliquot.
p. 20 l. 2 quae	qui.
p. 29 l. 11 solemnis	solemne.
p. 38 l. 19 p. 39 not. 77 l. 1 } Dionis.	Dionys.
p. 43 not. 89 l. 1 faceendi	faciendi.
p. 48 not. 101 l. ult. esses	esse.
p. 71 not. 121 l. 4 a. p. firmatur . . .	firmetur.

Impr. Rostochii typis Adlerianis.

et peregrinis hominibus ne juris quidem gentium commercium concessum sit (172), tamen et quod tam pristina aetate duplex praeter Praetorem (173) judicium constitutum est de libertate et civitate cognoscens, et quod semper in posterum observatum est, ne de libertate judicarent ambo, nisi de ea, quae cum civitate conjuncta esset, arctior sane proditur ac firmior. Sed erat quoque, quo alterum judicium ab altero distaret. Nam Centumvirale judicium ab eo

---

pus nequaquam proferri posse primam Decemvirorum slitibus judicandis creationem censeam, hanc primam dubitandi rationem, quam in textum recepi, ab omni parte irritam esse persuasum mihi est.

(172) Antiquissimis temporibus Romanos tali jure usos esse, dubitari nequit, cum *peregrinus* idem significet, ac *hostis* Varro de L. L. IV. 1. Festus s. v. hostis. Nec obstant huic nostrae opinioni ἰσοπολιτείας jura, quia qui iis cum Roma communicatis fruerentur, Romae degentes instar civium Romanorum erant, cum praeter jura suffragiorum et honorum cetera omnia iisdem concessa essent.

(173) Nam huic quoque istarum rerum jurisdictionem etiam antiquiori aetate fuisse nemo recte dubitabit.